
D. HENRICI Linckens
ICTI FAMIGERATISSIMI ET ANTECESSORIS ALTDORFFINI
TRACTATIO
DE
JURIBUS EXULUM,
GERMANICE,
Von denen Rechten
derer Exulanten,
PROPTER MATERIÆ DIGNITATEM ET SOLIDITATEM RECUSA.



FRANCOFURTI & LIPSIAE.
MDCCXXVII.
APUD
JOHANNEM MARTINUM BURGMANNUM.

PARS PRIOR.

Exilium tum in genere, tum etiam in specie vituperabile exhibet.

THES. I.

DE Juribus Exulum pro instituti mei ratione impræsentiarum acturus, inanem omnino susciperem laborem, si miserrimam illorum conditionem prolixiore filo deducere satagerem. Neque enim quempiam repertum iri reor, qui exilium, flebile illud remedium, si ob falsum crimen imponatur, gravem injuriam, sin ob verum, atrocem pœnam esse diffiteri audeat. Imo vero optime sensisse mihi videtur, qui id morte gravius cum Philone Judæo de Abrahamo judicaverit. Quid enim homini, glebæ suæ ut plurimum addicto, acerbius aut molestius accidere poterit, quam si patriam cum bonis linquere cogatur, &, quod doloris plenum dixeris, indignus judicetur, cui in civitate locus amplius concedatur. Unde Exilium paupertas & summa comitatur miseria, quæ homines sæpissime ita excruciat, ut in præsentissimæ mortis incidant pericula, quod assertum, licet allegationibus non egeat, utpote experientia sufficienter comprobatum, nihil ominus *a Bartolo ad l. si constante 24. ff. solut. matrim. n. 21.* hoc modo demonstratur: *Bannito & exuli necesse est peregrinari, qua peregrinatio inducit ipsum ad paupertatem & demum ad mortem.* Consentit *Ægid. Boss. in Pract. Crim. tit. de carcer fidejuss. comm. n. 7.*

II.

Atque ex his jam facili negotio quæstio præjudicialis resolvi potest: *An exilium sit supplicium, an perfugium tantum & portus supplicii?* Posterius quidem affirmat *Cicer. pro A. Cacin.* inquiens: *Exilium non supplicium est, sed perfugium portusq; supplicii: Nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eo solum vertunt, hoc est, sedem ac locum mutant. Itaque nulla in lege nostra reperietur, ut apud cæteras civitates, maleficium ullum exi-*

lio

lio esse multatum, sed cum homines vincula, neces ignominiasq; vitant, quæ sunt legibus constituta, confugiunt quasi ad aram & in exilium. Prius asseritur *in l* 5. *ff. de interd. & relig, & l.* 7. §. *f. ff. ad L. Jul. repet.* Unde Dd. concludunt, quod perpetuum exilium cum bonorum confiscatione conjunctum in Jure par & æquale habendum sit cum civili morte, imo, quod proximum sit morti naturali. §. *cum autem* 1. *junct. Gloss. in verb. mortuo ibique Angel. Aret. J. quib. mod. jus patr. potest. solv. l.* 1. §. *filium* 8. *in fin. ff. de bon. possess. contr. tab. Bald. in l. Deo nobis* 56. *C. de Episc. & Cler. n.* 8. *Jodoc. Damboud. in Prax. Rer. Crimin. c.* 56. *n.* 3. & 4. Nos distinctione rem expedire conabimur, separando scilicet Statum Reip. Romanæ anteriorem a postremis temporibus. Olim quidem ex peculiari ratione Juris Rom. non poterat in vito civitas adimi, quod luculento confirmat testimonio *Cicer. pro domo sua: Hoc Juris,* inquiens, *a majoribus proditum esse, ut nemo civis Romanus civitatem possit amittere, nisi ipse autor factus sit.* Quo minus quoque a Magistratibus togatis civi capitalia supplicia injussu populi irrogarentur, leges Porciæ aliæve prohibebant. Ne tamen delicta nocentium hoc modo impunita manerent, nemoque invitus civitate ejectus videretur, voluerunt credi, exilium sponte a civibus suscipi, declinandæ pœnæ causa. Hinc apud *Sallust. de conjur. Cæsar.* Lex Porcia aliæq; leges condemnatis civibus non vitam eripiunt, sed exilium permittunt. *Hotom. in Comm. verb. Jur. voc. Exilium. Calvin. in Lex. Jurid. ad id. voc.* Quia tamen necessitatem solum vertendi eo ipso satis innuebant, dum capitalium criminum damnatis aqua & igni interdicebant, ne iis intraditionem Populi Romani uterentur, ideoq; posterioribus temporibus, exolescente aquæ & ignis interdictione, exilium inter pœnarum genera recenseri cœpit, de quibus intelligendæ sunt allegatæ II. Licet enim iis, quibus aqua & igni interdicebatur, aperte nec vita ablata, nec civitas quidem (quia nulla exilii mentione facta hæc pœna irrogabatur) ademta fuerit, tacite tamen morte quodammodo mulctabantur, vique ipsa expellebantur civitate, cum solo aere vivere aut tegi non possent, nec fas esset, eos aut tecto recipere, aut aqua & igni, cæterisque ad vitam necessariis juvare, *ut ex ead. orat. Cicer. pro domo sua* liquet. *Pufend. de J. N. & Gent. l.* 8. *c.* 11. §. 7. *Vinn. ad* §. 2. *J. de cap. demin.*

n. I.

n. 1. *Anton. Matth. de Crim. ad libr.* 48. *ff. tit.* 17. *de pœn. n.* 6. Aliter *Perez. ad Cod. tit. de his, qui in exilium dat.* hoc explicat, exilium ſcilicet quandoque pœnæ locum ſubire, quandoque etiam, ut quis ſupplicii vitandi cauſa ſolum tantum mutet, conſtitui. Sed qualis exilium ſit pœna, controvertitur: *Felin. ad c. qualiter* 24. *§. ad corrigendos X. de accuſ. n.* 13. refert ad pœnas capitales, cui ſuffragatur *Ægid. Boſſ. in tract. crimin. tit. de carcer fidejuſſ. comm. n.* 7. ubi quidem aſſerit, quod exilium ſit pœna capitalis, negat tamen quod ſit corporalis, ex illa ratione, quia non adimit caput naturale, niſi quis dicat, quod exilium etiam propter mœrorem affligat corpus. Quæ omnia in exilio proprie ſic dicto, deportatione ſc. juxta expreſſam diſpoſitionem *§.* 2. *Inſt. de publ. jud.* & *l.* 2. *ff. eod.* procedunt: Quatenus vero exilium latius ſumitur, ut relegationem comprehendat, eatenus recte quoque ad pœnas non capitales & civiles referri poteſt. Vid. *Carpzov. p.* 3. *Prax. Crim. q.* 130. *n.* 13. & *Meier in Colleg. Argentor. tit. de pœn. th.* 5. ubi diſſentientibus, qui relegationem inter capitales pœnas referunt, reſpondet, pariterque obſtantem *l.* 12. *§.* 4. *ff. de accuſ.* reſolvit.

III.

Antequam vero Jura Exulum penitius introſpiciamus, illas adhuc præmittendas eſſe duximus quæſtiones: Num (1) *Reſpublica vel ſuperior civem juxta principia Juris Moralis licite expellere poſſit?* Quod affirmamus, dummodo tale crimen a cive ſit commiſſum, quod expulſionem meretur. Delinquens enim naturaliter ſe facit ſubjectum omnibus hominibus, adeoque etiam pœnæ ex delicto, ceu fonte ſuo, promananti, quæ deinceps a Judice, qui ad ſupplicii irrogationem per modum neceſſarii tenetur, circumſtantiis rite expenſis, determinatur. Suadet id etiam publicæ ſalutis ratio, quæ per malitioſos & enormes legum transgreſſores nimium quantum turbatur. Sicut itaque ad corporum ſalutem Medici pravos humores & putrida membra removere ſolent, longe ſatius eſſe ducentes, ſi abjiciantur, quam ſi retenta totum corpus perturbent; Ita Magiſtratus officii ſui partes egregie implet, ſi perniciosum & putridum membrum reſecet, ne univerſum Reipublicæ corpus contagio ſuo inficiat. Quare cum ipſe etiam Jehova Adamum exulare juſſerit, dum illum criminis convictum e Paradiſo ejecit, *Gen.* 3. *verſ.*

*verſ.*24. atque Caino fratricidæ eandem pœnam inflixerit *Gen.*4.*v.*16. omnino clarius conſtat, licere Magiſtratibus Chriſtianis hoc pœnæ genere uti. *Reinking. de R. S. & Eccleſ. lib.*2. *claſſ.*1. *c.*8. *n.*15.

IV.

Sed an (2) *Reipublicæ hoc pœnæ genus conducat,* majoris momenti quæſtio eſt? Rationes ſane firmiſſimæ ſunt, quæ uſum ipſius impedire videntur. Primo namque talis ſemper eligenda eſt pœna, quæ vel meliorem reddit illum, qui plectitur, vel ſaltem alios a peccatis deterret, quod ipſum pœnarum finis ſatis innuit, qui in eo conſiſtit, ut delicta propter mandatum Dei ad publicam tranquillitatem conſervandam puniantur, ſive emendentur formidine pœnæ, qui virtutis amore a ſcelere abduci nequeunt. *l.* 20. *l.* 28. §. 15. *ff. de pœn. Colleg. Argent. ad tit. de pœn. theſ.* 19. Sed vero neutrum præſtare videtur exilium. Qui enim ex urbe vel provincia pelluntur, propterea meliores non redduntur, quin potius deteriores ut plurimum fiunt, exiſtimantes, licet ab hoc vel illo loco diſceſſerint, alibi tamen Solem & Lunam æque conſpici. Hinc cum Philoſopho cuidam objiceretur, quod exularet, ſe civem mundi eſſe reſpondit. Præterea exules utplurimum hoſtes patriæ evadunt, atque ex odio adverſus eam concepto ſe hoſtibus iſtius aſſociant, quod eo periculoſius, quia arcana Civitatis & Reipublicæ, ex qua pelluntur, propalare, hoſtibusque patriam invadendi occaſionem oſtendere poſſunt. Accedit quod charitati Chriſtianæ hoc ipſum adverſari videatur, ſi provincia vel urbs ſceleratis hominibus ita ſe exoneret, ut alias ditiones iisdem oneret. Quemadmodum enim civem peſte infectum ad aliam mittere civitatem injuſtum non minus quam inhumanum eſt; Ita quoq; de animi vitiis multo magis id dicendum venit. *Reink. de R. S. & E. cit. loc. n.* 10. *& ſeq.* Præterea Petro Martyri propterea hic puniendi modus diſplicuit, quod reus exulare cogatur apud eos, qui ipſum vel quoad religionem vel etiam quoad mores facile deteriorem reddere poſſunt.

V.

Verum an hæ rationes tanti ponderis ſint, ut univerſaliter procedant, & exilii pœnam in totum excludant, hoc eſt, de quo dubitamus. Nam quod Martyris dubium attinet, quoad religionem libenter aſſentimur, non eſſe mittendum reum in exilium ad Turcas & Mahumetanos, ubi præſentiſſimum periculum fidei Chriſtianæ adeſt. Verum quod mores attinet, judici nihil imputari poteſt, ſi exules indies mores in dete-

rius

rius mutent; Alioquin nec in metallum, nec in opus publicum, ad pistrinum aut triremes salva conscientia reum damnare posset, quoniam loca illa plerumque malorum hominum quasi quædam sentinæ sunt. *Ant. Matth. ad lib.* 48. *ff. tit.* 20. *cap.* 1. *n.* 7. Cæteroquin reliqua dubia illud evincunt, quod cautela circa hanc pœnam adhibenda sit, ne illi ejiciantur, qui in absentia magis officere, quam proficere possunt; Interim tamen non statim hoc inducunt, quod neutiquam sint ejiciendi illi, quos, si absint, cognoscimus fore magis utiles, quam in civitatibus; quales sunt homines plebejæ sortis, quibus arcana Civitatis parum cognita sunt, vel etiam illi, a quibus Reipublicæ nullum imminet periculum; Et hos præcipue iste relegandi modus, qui in Germania aliisve locis passim receptus est, concernit. Neque hoc modo alteri provinciæ ulla infertur injuria, cum in arbitrio Superiorum sit, an ejusmodi hominem, emendationem vitæ promittentem, tolerare, an vero iterum ejicere velint, præcipue juxta mores hodiernos, secundum quos nemo in numerum civium adsciscitur, nisi vitæ suæ discessusq; documentum a Magistratu priori exhibeat. *Dn. Struv. Ex.* 50. *th.* 50. *Mev. ad Jus Lub. l.* 1. *t.* 2. *art.* 2 *n.* 47 63. *& seq.* Quod si vero delinquentes talis sint conditionis, ut Reipublicæ in absentia magis obesse queant, exilium in Republica ita temperari debet, ne exules ad alios mittantur, apud quos malitiæ suæ patrocinium invenire possint, sed ut certis locis intra fines ditionis Magistratui releganti subjectæ includantur, ibidemq; sub severa inspectione contineantur. Sic in Saxoniæ Electoratu frequentissimum est, ut tales personæ mittantur auf den Bau. Alibi condemnantur in metallum vel opus publicum, ita ad triremes, hoc enim modo facilius coercentur delinquentes, & prout facinora eorum vel graviora vel leviora sunt, duriora etiam vel commodiora ipsis assignantur loca & opera. Horum operum publicorum (quæ etiam de jure civili non incognita sunt, *ut ex l. ult. de effractor.* patet. *Add. Vinn. ad §.* 3. *Inst. quib. mod. jus patr. pot. solv.* ubi differentiam inter eos, qui in metallum, & qui in opus publicum damnantur, proponit) hodie ubivis extant vestigia, pœnæque ejusmodi frequentatur tam in territoriis Principum, quam Civitatibus Imperialibus, ubi homines, qui flagitiosam quidem degunt vitam, tam atrox tamen delictum non commiserunt, ut graviori quadam pœna corpus affligi possit, istius modi operibus publicis destinantur, ibidemque vel temporalibus vel perpetuis vinculis & compedibus constricti, operi faci-

faciundo mancipantur. *J. Met. in Coll. Argent. cit. de pœn. th. 9. Anton. Matth. de crim. cit. l. tit. 20. c. 3. n. 9.* Referri huc etiam potest usitatus ille, Reique publicæ non inutilis exilii modus, quo facinorosi ad fines Imperii & loca periculosa mittuntur, ut cum Turca cæterisq; hostibus pugnent: Der Thäter wird eine gewiss Anzahl Jahre wider den Erbfeind zu ziehen und zu dienen, oder auff das äusserste Gräntzhauß sich zu begeben verurtheilet. *Reink. cit. loc. n. 25.*

VI.

Recte proinde Judicis discreti arbitrio committur, quo exilii genere pro diversa delinquentis ratione uti velit. Hinc non inconcinne tradit *Damhoud. in Pr. Crim. c. 58. n. 1. & seq.* exilii triplicem esse rationem: Aliam, quæ extra civitatem pellit, alteram, quæ intra civitatem coarctat, tertiam, quæ in certo & constituto loco hominem adstringit. Intra civitatem continemus eos, quorum absentia magis obest, quam præsentia, Extra civitatem exilio damnamus illos, quos absentes cognoscimus fore magis utiles, quam in civitatibus. In constitutis locis exilio arctamus eos, quos nolumus errabundos per diversas vagari regiones, proptereaque vel Lex vel Magistratus ipsis exilii locum designat, velut in Cypro, in Rhodo. Hungaria aliisque locis, ut ibi permaneant, neque limites transiliant, Atque huc spectat exilium, per quod ad præsidia limitanea delinquentes mittuntur. *Add. Bartol. ad L. Relegatorum 8. §. est quoddam genus 5. ff. de interd. & releg. Bald. ad l. Executorem 8. C. de exec. rei jud. n. 33.*

VII.

Quod si vero nullum intercesserit crimen, vel etiam plures sint, quorum expulsio Reipublicæ magnum infert damnum, tunc ex mente accuratiorum Politicorum melius esse putamus, cives alio modo puniri, quam infelici successu civitate ejici. Sicut enim civitas pro arbitrio suo, nullo interveniente delicto, civem invitum expellere nequit, quod Cicer. inter fundamenta libertatis posuit, *Pufendorf. d. lib. 8. c. 11. §. 6. Mev. ad Jus Lub. lib. 1. tit. 2. art. 2. n. 79.* (qui enim in civitatem quandam se recipit, omnes utique rationes suas ad minimum impræsens ei ita illigat, ut plane odiosum sit, easdem quolibet tempore vel turbare, vel per expulsionem evertere, cum civis a civitate velut stipulari intelligatur, ne invitus præter meritum ejiciatur, præcipue quia Juris universalis, quod apud omnes obtinet, est, eum, qui sub conditione quicquam recepit,

cepit, ad præstandam conditionem recepto annexam omnino teneri. *Robert. Scharrock. de offic. secund. Jus natur. c. 4. de fid. servand. n. 7.*) ita quoque cum Reipubl. intersit, hominibus repleri civitatem, conducibilius esse videtur, illos, qui ex causa quadam ejici poterant, tolerare, si modo quiete vivant, quam expellendo hominum penuriam introducere, sicque Rempublicam desolatam reddere. Luculentum hujus rei exemplum se nobis offert in Hispania, quæ licet ingens spatium ambitu suo complectatur, maximam tamen partem inculta ac desolata jacet, cujus defectus causam Historici multiq; Juris Publici Doctores Maurorum ejectioni adscribere non dubitant. Equidem non desunt, qui hanc proscriptionem acriter defendunt ex eo fundamento, quod timendum fuerit, ne sub specie Religionis aliquid monstri alerent, conjunctisque viribus universam Hispaniam sub potestatem suam redigere conarentur, adeoque desolatum potius, quam dissolutum regnum fuisse optandum. Sed vero, an prætextus religionis expulsioni huic sufficientem præbuerit causam, cum aliis non immerito ambigimus, hancque litem, utpote a proposito nostro alienam, nostram hac vice non facimus. Vid. interim *Horn. in Orb. Polit. part. 1. cap. 3. de Regn. Hispan. can. 8. §. 2. &* illustris nostris ævi Politicus *Dn. Conring. in Colleg. Manuscript. de Rebuspubl. ad Regn. Hispan.* Similiter Judæos tolerandos potius quam ejiciendos esse, tradit *Reink. de R. S. & Eccles. l. 2. class. 2. c. 3. n. 14 41. & 47. it. Limn. de Jur. Publ. l. 3. c. 2. n. 16. ac seq. facit hac text. in l. Christianis 6. C. de Pagan. & Sacrif.* ubi Judæorum, quiete & pacifice viventium turbatio expresse est prohibita. Add. *huj. Dissert. p. 2. th. 4.* ubi plura huc facientia proponuntur.

VIII.

Missis hisce quæstionibus præliminaribus ad rem ipsam nos accingimus; Id vero negotii ne illotis, quod ajunt, manibus aggrediamur, operæ pretium erit, nominalia Exilii extremis saltem digitis attingere. Etymon ergo quod spectat, exilium ab *ex & solum* compositum esse, *Festus Non. & Servius* testantur. Consentit *Lucas de Penna*, cui in *l. Lenones C. de Spect. & Scan.* dicitur ab *extra & solo*, quia facit exulare extra solum, id est, locum patriæ vel domicilii &, ut dixit *Seneca de Consolat. ad Helviam matr.* Exilium loci commutatio est, quam hæc sequuntur incommoda, paupertas, ignominia & contemtus. Hine

Exules

Exules dicuntur *solo patria sua pulsi, it. qui sunt extra solum, vel qui quasi trans solum missi, aut extra solum vagi sunt, it. qui extra solum suum habitant.* Quicunque ergo sive sua sponte, sive pœnæ ac ignominiæ causa extra solum suum constituti sunt, exules vocantur. *Hotom. in Comm. verb. Jur. ad hoc voc. Brisson. de V. S. lib. 5. sub. voc. exul. ibiq; cit. Quintilian.* Quemadmodum vero exilium variis nominibus in Jure nostro venit, ita etiam exules non una appellatione gaudent, utpote qui profugi quoque hinc inde dicuntur, imo ipsum exilium fuga nuncupatur in *l. 4. §. ad tempus 4. ff. de re milit. & in l. 5. ff. de interd. & releg.* vid. *Brisson, lib. 6. de V. S.* sub voc. *fuga.* Quamvis enim nonnulli differentiam inter profugos & exules hanc constituant, quod illi sint, qui necessitate exclusi de suis sedibus adhuc vagantur, ni vero, qui jam sedes suas alicubi locarunt; nihilominus tamen & apud Lucan. profugus dicitur is, qui jam sedes locavit, exules vero nominantur, qui adhuc vagantur, prout etiam *Sallustio* exules sunt, qui nullo certo exilio vagantur, adeoque exilium est ipsa vagatio, teste *Spiegel, apud Calvin, in Lex. sub voc. Profugus.*

IX.

Evoluta Etymologia & Synonomia Exilii ad *descriptionem* ejus, quam varii variam adferunt, pedem promovemus. Althus. *l. 1. Dicæolog. c. 98. n. 36.* exilium per loci & domicilii mutationem pœnæ loco impositam definit. Enim vero cum exilium generaliter positum non tantum necessarium, h. e. pœnæ loco impositum, sed & voluntarium ob casum fortuitum susceptum & miserabile sub se comprehendat, ideo dictam *Alth.* definitionem, tanquam definito suo angustiorem, rejicimus. *Matth. Steph, de Jurisdict. l. 1. c. 9. n. 104.* exilium proprie per civitatis amissionem definiendum esse censet, cujus rei gratia ad *l. 2. de publ. Jud.* provocat, ubi hæc habentur verba: *Capitalia sunt, ex quibus pœna mors aut exilium est, h. e. aqua & ignis interdictio, per has enim pœnas eximitur caput de civitate. Nam cætera non exilia, sed relegationes proprie dicuntur, tunc enim civitas retinetur.* Add. *Bajard. ad Jul. Clar. lib. 5. sent. §. fin. q. 71. n. 2.* Verum licet non diffiteamur, quod proprie exilium tunc dicatur, cum caput juxta *d. l. 2.* eximitur de civitate, quia tamen ex

l. exi-

l. exilium 5. *ff. de interd. & releg.* patet, quod interdum quoque generalius exilii vocabulum sumatur & quidem præcipue tripliciter, ita ut (1.) præter propriam significationem jam demonstratam, quandoque latius 2) accipiatur quatenus etiam relegationem vel interdictum complectitur, *d. l.* (unde Ulpianus vitandæ obscuritatis causa *in l. qui cum major* §. 3. *ff de bon. libert.* meminit exilii, quod est vice deportationis, ubi civitas adimitur, quasi sit exilium aliquod, quo civitas non amittitur, vel etiam (3) latissime, quatenus quamcunque expulsionem è patria vel sedibus, plerumque religionis odio, vel alterius causæ falso prætextu, adversariorumque potentia factam denotat, quæ significatio hodie præcipue occurrit, & in hac nostra Dissertatione præsupponitur; Ideoq; & secundum hunc latiorem significatum exilium *per quamcunq; e Patria vel sedibus suis factam expulsionem* describendum erit, *cum Menoch. lib. 2. A. J. Q. cent. 6. cas.* 502. *n.* 56. sive emigratio è territorio concurrat, sive non; Potest enim aliquis in patria seu loco, ubi officio & bonis privatur, permanere, qui tamen ideo ex numero Exulum non excludendus est, quales sunt illi, qui derelicto domicilio tempore persecutionis in cavernis latent, unde etiam alii exilium statum sive conditionem hominis molestam vocant, qua quis ob patriam, domicilium, officium aliaque bona amissa ad hospitium alibi quærendum cogitur.

X.

Fluit ex his, quod exilii vox in Jure nostro & apud Scriptores probatos generis cujusdam & speciei vicem sustineat, ut patet *ex Hotom. Comm. verb. Jur. ad hoc vocab.* Quamvis enim specialiter relegatio, juxta hactenus dicta, exilium vocari nequeat, sicut *Ovid. ad August.* innuit in verbis:

Quippe relegatus non exul dicor in illo.
Parcaque fortunæ sunt tibi verba meæ,

Deportatio autem revera exules reddat & ad peregrinitatem redigat, sicq; *ἀπόλιδας* efficiat. *l.* 17. §. 1. *ff. de pœn. l.* 1. *C. de hered. inst. l. sed si hac* 10. §. 6. *ff. de in jus voc.* Nomen tamen exilii commune quid est, tam late sæpius patens, ut, præter deportationem, relegationem quoque & interdictum comprehendat, id quod præter loca tum apud *Cicer. pro Cæcin.* tum etiam apud *Ovid.* occurrentia, *Plin. lib.* 7. *epist.* 19. & *Anton. Matth. ad lib.* 48. *ff. tit. de pœn. c.* 1. *n.* 10. demonstrant.

 Ideo-

Ideoque cum deportatis ac bannitis & interdicti & relegati exules vocantur, quia omnes extra solum missi, sive solo patrio pulsi sunt. *Vid. Menoch. A. J. Q. l 2. cent. 6. cas. 530. n. 1. Franc. Duar. l. 1. Disp. anniverf. c. 37. in med. Steph. de Jurisd. d. c. 9 n. 104. Vinn. ad §. 2. J. quib. mod. jus patr. pot. solv. n. 1. Dautb. de testam. n. 212.* ubi insimul differentias inter relegationem & deportationem proponit. Unde in genere *exilium* aut *voluntarium* est, aut *coactum*, sive a Magistratu inflictum, quod necessarium quoq; vocari potest. *Voluntarium* est, quod mali cujusdam imminentis vitandi causa suscipitur, qualefuit Christi Salvatoris nostri, fugientis in Ægyptum, Aristotelis, Scipionis Africani multorumque aliorum illustrium virorum, quos ordine hic recensere, temporis rationem habentes, supersedemus.

XI.

Atque ad hoc exilium referunt quoque multi, interque eos *Petr. Gregor. Tholosan. in Synt. Jur. Univ. lib. 31. c. 6. n. 10.* profugium pœnæ metu susceptum. Sic primum ejusmodi profugum & exulantem nobis Sacræ Literæ sistunt Cainum, qui, fratricidio perpetrato, egressus a facie Domini factus est profugus ad orientalem plagam Eden. *Gen. 4.* Eodem modo in Politia Judaica, qui non præmeditate occiderant, mortis periculum vitabant, *Deut. 19. v. 3.* in civitatibus refugii exulando; Lex enim erat a Deo *Num. 35. v. 26.* hunc in modum constituta: *Si interfector extra fines urbium, quæ exulibus deputatæ sunt, fuerit inventus & percussus ab eo, qui ultor est sangvinis, absque noxa erit, qui eum occiderit. Debuerat enim profugus ad mortem usque Pontificis in urbe commorari, postquam autem ille obierit, homicida revertetur in terram suam* Hocque ipsum præter Hebræos inter Ethnicos aliosque populos observatum fuisse, haud facile quemquam latere puto. Sic Memphitarum lege homicida, qui invitus occidisset, exulare & ad Gymnosophistas proficisci jubebatur, neque prius ad paternos lares redire poterat, quam a b ipsis absolutus esset, &, si eum absolvere nollent, in montibus errabat, donec Gymnosophistæ illius misererentur, ut ait *Philistr. de vit. Apoll. alleg. a Petr. Gregor. Tholos. d. l. n.* 11. Eodem modo apud Græcos fortuiti casus voluntario exilio luebantur, juxta *l. aut facta* 16. §. *eventus* 8 *ff. de pæn. in verbis: & ideo apud Græcos exilio voluntario fortuiti casus luebantur, ut apud præcipuum Poetarum scriptum est, Iliad. lib. pen. Add. Alciat. lib. 1. disp. c. 17.* Fuit hoc annale, si homi-

Homicidium fortuitum esset, ἀπενιαυτισμός, quasi abannatio dictum, à qua voce bannitos dici putat *Alciat. lib. 2. παρεργ. c. 2.* quamvis Zasius a banno rectius deducat. Quod si fortuitum non fuisset homicidium, neq; etiam deliberatum aut dolosum, non annus, sed arbitratu Judicis tempus statuebatur, teste *Alciat. d. c. 2.* Verum & hos omnes, qui formidine pœnæ fuga sibi consulunt, non tam voluntarium, quam necessarium subire exilium, inde facile colligi poterit, quod non libenter & sua sponte discedant, sed cum se damnatos atque periculo immersos videant, sedes suas linquant, sicque pœnam reatus luant. Unde *Glossa ad d. l.* 10. §. 8. aliter explicat voluntarium exilium, pro eo videlicet, quod ad arbitrium Judicis imponitur. *Bud. ad d. l.* voluntarium exilium illud dicit, quod quisque sibi ipsi consciscit.

XII.

Exilium a Magistratu inflictum, alias *coactum vel necessarium* dictum, iterum duplex est, vel *miserabile*, vel *vituperabile*. *Miserabile* est, quod præter culpam patientis plerumque sub religionis odio vel alterius causæ prætextu, aut adversariorum potentia irrogatur. *Henning. Rennem. in Jurispr. Rom. Germ. memb.* 1. *de jur. person. disp.* 3. *th.* 26. *lit. C.* Huc referuntur illi, qui exulabant quondam, propter virtutem & potentiam *Ostracismo* pulsi, cujus exilii genere ejecti sunt Cimon Miltiadis filius, Themistocles, Aristides, propterea quod *justi* cognomen Athenienses offenderet. Et de hoc Exilio *pars poster. hujus Dissert.* concepta est. *Vituperabile* vero pœnæ loco ob delictum vel culpam imponitur, quod iterum in jure nostro (1) *interdictum*, (2) *relegationem &* (3) *deportationem* comprehendit. Eodem ferme recidit, quod Marcellus *in l. 5. ff. de interd. & releg. exilium triplex* statuat, aut *certorum locorum interdictionem*, aut *latam fugam*, ut omnibus locis interdicatur, præter certum locum, aut *insulæ vinculum*, i. e. relegationem in insulam. Addit *Bajard. ad Jul. Clar. sent. lib.* 5. §. *fin. q.* 71. *n.* 1. condemnationem in metallum, vel in opus metalli, quod maximum exilium vocat, quando pœnæ loco ad effodiendum metallum, cujus varia sunt genera, delinqventes condemnantur, ita tamen, ut inter eos, qui in metallum, & qui in opus metalli detruduntur, differentia sit quoad vincula, ut probat. *l. aut damnum* 8. §. 6. *ff. de pœn.*

XIII.

Interdicti nomen latius patet, ut duo interdictorum genera com-

plectatur, unum eorum, quibus honore, ordine, negotiatione vel advocatione interdicitur, *l. 7. §. 20. 21. & 22. ff. de interd. & releg.* alterum vero, quod huc pertinet, eorum est, quibus certi loci aditu commerciove interdicitur, *l. 7. §. 16. ff. eod.* veluti si quis Roma abesse jubeatur. Ita Anaxagoras ab Atheniensibus in exilium missus est. Ita Rhetores & Philosophi ex tota Italia proscripti fuere sub Domitiano Imperatore, uti refert *Gell. lib. 15. Noct. Att. c. 11.* Sic Judaei quoque Roma pulsi sub Tiberio propter quatuor Judaeos improbos Eodem modo Heinricus Leo Saxonum Bavarorumq; Dux ab Imperii Ordinibus in exilium ire compulsus est, quod Fridericum I. Imperatorem in expeditione Italica deseruisset, ut *Cranzius in Saxonia & Dauth. de testam. n. 212.* narrant. *Relegatio* iterum duplex est, aut *lata fuga*, aut *insulae vinculum Latam fugam Wesenb. in Parat. ff. eod. tit. n. 2.* certorum locorum interdictionem vocat, ut cum alicui patria interdicitur; is enim extra patriam & urbem Romam, quae communis patria est, ubivis gentium commorari potest. *l. 7. §. constitutum 15. ff. de interd. & releg.* Consentit ferme *Petr. Gregor. Tholos. lib. 31. Synt. c. 6. n. 17.* Verum sicut haec explicatio per citatum textum non probatur, quin potius interdictum cum lata fuga confunditur, ita quoque *l. 5. ff. de interd. & releg.* satis aperte innuit, quid lata fuga sit, omnium scil. locorum interdictio, praeter certum locum, quando quis non amandatur alio, sed certum in locum quodammodo includitur, ac quasi circumscribitur, ut cum Praeses aliquem damnat, ne domo sua exeat. *l. 9. ff. d. t.* item, cum quis patria excedere vetatur, jubeturve certis in vicis morari, qua de re loquitur *Ulpian. in l. 7. §. solet 17. ff. eod.* haecque est lata illa fuga, quam *Marcianus in saepius alleg. l. 5.* proponit. Hinc lata fuga non denotat facultatem libere ubique vagandi, uno loco excepto, sed φευγὴν potius, i. e exilium ab omnibus locis, praeterquam ab uno. Apparet igitur nec corruptum esse illum locum, ut Budaeus & alii existimant, neque etiam interdictionem & latam fugam inter se convenire, cum per interdictum quis certi loci aditu, per latam vero fugam loci cujusdam exitu prohibeatur, ut recte monet *Hotom. in Comm. Verb. jur. verb. Exilium*, perinde ut Salomon Rex illum, qui patri fugienti maledixerat Hierosolymis conclusit, & egressum postea capite plecti jussit. Hanc ipsam tamen latam fugam improprie relegationem vocari, testatur *Hotom. in Comm. Verb. jur. d. l. Calvin. in Lex. ad voc. Exilium Me-*

noch.

nocb. l. 2. de Arb. Jud. Quæst. cas. 530. n. 3. Insulæ vero vinculum, i. e. relegatio in insulam est, quando quis in loca, ab hominibus notis & amicis remota, amandatur, quo exilii genere a Cæsaribus Rom. multi pii jam olim affecti sunt, Johannes scil. Apostolus, Clemens Romanus, Cyprianus & alii, Ita Ovid. Poeta à Cæsare Augusto in Pontum, Juvenalis octogenarius à Domitiano in extremam Ægypti partem ad Pentapolim relegatus est. Et hæc relegatio in insulam vel ad tempus vel in perpetuum fieri potest, *l. 7. §. 2. ff. de interd. & releg. l. 5. l. 18. pr. eod. Menocb. d. l. n. 4.* Addunt quidem nonnulli & aliud relegatorum genus *ex l. 7. pr. ff. de interd. & releg.* eorum scil. qui simpliciter relegantur, ut provinciis eis interdicatur, non etiam insula assignetur; Hos tamen rectius interdictos, quam relegatos dixeris, ceu patet *ex l. 5. ff. eod. Deportatio* denique est, quando delinquentes civitate privati, nervis vel compedibus vincti, navi imponuntur, servisq; publicis, ut eos in insulam transferant, traduntur, quod exilii genus, atrocissimum erat, quia ad tempus non imponebatur, omniaque civitatis & agnationis jura adimebat. *l. 18. §. 1. l. 6. d. t. l. 4. §. fin. ff. de grad. & adfin. l. sunt quidam 17. §. 1. ff. de pœn. Vid. Perez. ad C. tit. de his, qui in exil. dat. n. 2. Vinn. ad §. 2. J. de cap. demin. n. 1.* Vnde *Origines in Jeremiam homil. 9. Scio*, inquit, *quosdam Reges eos, qui imperio suo insidiati sunt, ad desertas insulas deportare solitos & pro magnis suppliciis hoc jubere, ne in uno loco exlii pœnam sustineant: sed in aliam partem Orbis uxor, in aliam liberi exterminentur, ne in calamitatibus suis perfruantur solatio, aut pater filii, aut mater filiæ, aut frater fratris.* Et his posterioribus hodie æquiparantur exules banniti, quibus ob crimen quoddam aqua & igni alicujus Regni interdicitur, ita ut a nemine in clientelam, fidem aut amicitiam recipi, ab omnibus vero impune, tam in persona, quam rebus offendi possint. *Ord. Cam. p. 2. t. 9. §.* So jemands *2. Gail. de pac. publ. l. 2. c. 1. n. 19. & 20. Webn. in obs. pract. sub voce* Acht.

XIV.

Differentiæ, quæ hanc divisionem comitantur, ex sequentibus patebunt. Nunc ordinis ratio suadet, ut, divisione exilii relicta, & vituperabile & miserabile exilium paulo altius perpendamus. Illud quod attinet, ex Sacris patet, quod fuerit prima pœna Protoplastis propter delictum imposita. Cum enim transgressione legis divinæ enormiter peccarint, ejecit

eos ex Paradiso seu loco voluptatis Deus, ut terram colerent, adeoque è Patria peregrini & exules cum omnibus suis posteris facti sunt. *Gen. 3. c. Adam* 80. *dist.* 1. *de pœnit.* Proinde omnes vere philosophantes Patres antiqui & Christiani, se in vita hac peregrinari, professi sunt. *Gen.* 23. *Ps.* 38. 1. *Petr. c.* 2. Nostra siquidem patria, ad quam properamus, æterna vita est, nec civitatem permanentem hic habemus, sed futuram inquirimus. Quare rectissime Plato vitam nostram peregrinationem vocat. *Petr. Gregor. Tholos. Synt. Jur. univ. lib.* 31 *c.* 6. *n.* 1. Atque ex hoc Protoplastorum exilio indeque promanante peregrinatione Christianorum nonnulli deducunt peregrinationes temporales ad loca sancta, vel etiam Sanctorum basilicas, Germ. Wallfahrten, pœnæ vel meritorum loco impositas. *Vide, si placet, Petr. Greg. Tholos. d. c.* 6. *n.* 4. *Add. c. si quis Romipetas* 23. *c.* 24. *q.* 5. quæ hodie nervi indulgentiarum Papalium sunt, ut loquitur *Chemn. in Exam. Concil. Trident. p.* 4. *de indulg. c.* 4. *p. m.* 102. De iis hoc breviter tenendum, extare quidem exempla, quod historiæ gratia veteres Hierosolymam profecti fuerint, Christum, qui illis in locis natus, conversatus & passus est, in spiritu & veritate adoraturi, sicut Euseb. narrat, Alexandrum ex Cappadocia circa annum Domini 200. ad loca Hierosolymitana profectum esse, orationis & historiæ causa; postea tamen haud pauci pietatis partem non postremam in peregrinatione Hierosolymitana aliave ad Sanctorum basilicas suscepta constituerunt, quasi gratia divina istis in locis vel amplior, vel etiam Spiritus Sanctus abundantior esset. Hinc istæ peregrinationes tantum successive favorem promeruere, ut non solum peregrinantes in tutela Summi Pontificis existerent. *c. innovamus* 2. ✠ *de treug. & pac. c. un.* ✠ *de peregrin.* sed & Clemens VI. in Bullis Indulgentiarum ipsis Angelis præceperit, ut peregrinantium animas, si in itinere evolarent, statim in Paradisum transferrent, teste *Chemnit. in Exam. Concil. Trident. d. l. pag. m.* 128. Ut taceamus reliqua singularia, v. gr. quod is, qui conventus hosce contempserit, anathemate feriarur, *Petr. Gregor. Tholos. d. l. n.* 4. it. quod Mariti, licet conjuges alterutro invito religionis votum assumere nequeant, nihilominus præter uxoris consensum propositæ peregrinationi vacare, eamque libere implere possint. *Lancel. l.* 2. *Inst. Jur. Can. tit. de divort.* 16. §. *licet autem* 15. *c. ex multa* 9. §. *in tanta* ✠ *de vot. & vot. redemt.* Denique quod illi, qui peregrinantes spoliarunt, excommunicentur. §. *si quis Romipetas* 23. *cum can. seq. c.* 24. *q.* 3. & si

quæ

quæ sunt sexcenta alia. Verum quid de hisce peregrinationibus nostrates statuant Ecclesiæ, ex Theologorum scriptis patet. *Add. Zigler. ad Inst. jur. Canon. d.* §. 15. quorsum curiosum remittimus Lectorem, hac solum modo adjecta quæstione: Num in casu, quo maritus, irrequisito uxoris consensu, peregrinationem ad terram sanctam vovet ibique diutius commoratur, uxor non expectans ejusdem reditum alias interim contrahere possit nuptias? *Lancel.* §. 16. *Inst. Jur. Canon. dict. t.* 16. *de divort.* negative respondet, modo de morte mariti certo non constet, cui etiam *Dn. Zigl. in Not.* calculum suum addit, dummodo omnis a marito dolus absit, etsi pietate vana adductus peregrinationem susceperit; Quod si vero de malitiosa desertione constet, utcunque color pietatis peregrinationi inducatur, ad novum matrimonium, observatis solennitatibus, mulier omnino admittenda erit.

XV.

Causa efficiens vituperabilis exilii, sicut omnium pœnarum, Lex est, quæ delictis pro singulorum qualitate justas irrogat pœnas, idque propter utilitatem publicam, cujus interest, ne delicta maneant impunita. *Card. Tusch. Pract. Concl. lit. D. Concl.* 157. *Wesenb. in Parat. ff. tit. de pœn. n.* 5. Suadet enim hoc exilii genus salus totius populi, utpote quæ suprema lex est & officio Magistratus committit, ut male se gerentem in societate civili è medio tollat, ne forsan pars sincera Universitatis inquinetur. Probabiliter hoc innuit *Pufend. in Elem. Jurispr. lib.* 2. *Obs.* 1. §. 4. in verbis: *Sunt leges Naturæ fundamentales, ex quibus reliquæ omnes fluunt, duæ, (1) ut quilibet vitam & membra sua, quantum potest, tueatur, seque ac sua conservet, (2) Ut non perturbet societatem humanam, nec faciat aliquid, quo minus tranquilla esse possit. Hæ ita inter se conspirare & invicem velut implexæ esse debent, ut in unam velut coalescant legem.* Sicut enim Medici non semper urendo & secando, sed & purgando subveniunt periclitantibus corporibus; ita prudens quoque legislator non omnes nocentes in furcam agit, sed & quosdam, tanquam vitiosos humores, foras pellit, atque in exilium mittit. *Anton. Matth. de crim. ad lib.* 48. *ff. tit.* 17. *c.* 1. *n.* 7. *Ministerialis* seu *instrumentalis* causa est Magistratus, cui exilii imponendi facultas a lege est concessa. Non verò quilibet indistincte hac potestate olim gaudebat, sed certis limitibus eadem circumscripta erat. Princeps namque, Senatus, Præfecti & Præsides, non vero Consules relegare poterant,

rant, *l.* 14. §. 2. *ff. de interd. & releg.* Et quidem Præsides Provinciæ tum demum, si insulam sub se haberent, *l.* 7. §. 1. *d. t.* sin minus, pronunciabant quidem, in insulam se relegare, scribere autem tenebantur Imperatori, ut ipse insulam assignaret, *d. l.* 7. §. 1. *vers. fin. vero, Marta tom* 2. *Digest. noviss. sub. tit. relegat. c.* 2. Non tamen poterat relegare Magistratus in insulam sibi non subditam. *d. l.* 7. §. 6. *Vid. Coll. Argent. ad t. de interd. & releg.* quamvis de consuetudi en generali, quæ viget fere ubique locorum, contrarium observetur, ut testatur, *Bald. in l. executor.* 8. *C. de exec. rei jud. n.* 33. *Add. Jul. Clar.* 5. *sent. quæst.* 71. *n.* 4. ubi hanc in rem allegat exemplum Ducis cujusdam Mantuani, qui nonnullos cives Casalenses in diversas civitates & oppida Italiæ, dominio suo non subditas, relegavit. Et hæc quidem in relegatione obtinent. Secus est in deportatione, hæc enim Præsidibus Provinciarum, quamvis merum imperium habentibus *l.* 6. §. 8. *ff. de Off. Præs.* non competebat, *l.* 2. §. 1. *de pœn. l.* 6. §. 1. *de interd. & releg.* ideoque specialis prorsus pœna fuit sub Augusto, ut ex Dione patet, in locum veteris illius aquæ & ignis interdictionis surrogata, ceu pluribus demonstrat, *Frantzk. ad l. Gallus de lib. & posth. disp.* 3. *membr.* 2. *sect.* 1. *n.* 13. *& seq.* Ut itaq; hæc in libera Rep. nulli concessa, sed ab ipso populo decreta est, ita nec postea deportatio sub generali concessione meri imperii transiit. Qua de causa, ut possit deportare Præfectus Urbi, speciali rescripto opus fuit. *d. l.* 6. §. 1. *de interd. & releg. l.* 1. §. 4. *de leg.* 3. Et specialem hanc fuisse pœnam, etiam inde patet, quod Præses alio genere jus civitatis & libertatis per damnationem scil. in metallum adimere possit. *d. l.* 6. §. 8. *de Off. Præsid.* Conferantur de hoc ipso negotio, aliter illud explicantes, *Hotom.* 3. *observ.* 2. *& Gilken de præscript. part.* 3. *c.* 6. *n.* 21. *& seqq.* Moribus hodiernis, imprimis vero Saxonicis, quilibet Magistratus, alta sive criminali Jurisdictione gaudens, relegationis pœnam imponere potest, teste *Carpz. in Pr. Crim. p.* 3. *q.* 109. *n.* 55. 56. 57. 58. *Matth. Col. de Proc. execut. p.* 2. *c.* 1. *n.* 137. Ad jurisdictionem namque criminalem spectant omnia delicta, quæ regulariter sanguinis pœnam, ultimum scil. supplicium, aliamve pœnam corporis afflictivam merentur. *Carpz. p.* 3. *Pr. Crim. q.* 109. *n.* 39. *Coler. d. l. n.* 125. Deportatio vero desiit esse in usu. Quia tamen in ejus locum bannum successit, ideoque bannum Imperiale ab Imperatore atque Camera Imperiali infligitur, speciale vero a reli-

reliquis Principibus, aliisque Imperii Statibus ob crimen irrogatur. *Vid. Carpz. p. 3. Pr. Crim. q. 140. n. 18. & 30. Gail. de Pac. Publ. lib. 2. c. 1. n. 19. & seq. Blum. in Proc. Cam. tit. 25. n. 30. & seq. Eckolt ad Pand. tit. qui test. fac. poss. th. 24.*

XVI.

Causam efficientem excipit *subjectum*, cui exilium hoc irrogatur, quod ipsum delinquens est, de cujus delicto ex processu ordinario vel inquisitorio constat, isque tam præsens, quam absens. Quamvis enim juris expediti sit, quod contra absentem deveniri nequeat ad sententiam definitivam, sive condemnationem, *l. absentem 5. ff. de pœnis ibique Gl. & Dd. l. absentem. 6. C. de accus. l. 1. ff. de requir. reis. Jul. Clar. l. 5. Sentent. §. ult. quæst. 44. n. 1.* id quod etiam de Jure Canonico obtinet, quo ne quidem ad testium receptionem contra absentem procedi potest, *arg. c. quoniam 5. ✠ ut lit. non contest.* secundum Abb. *in cap. veritatis 8. num. 20. & 27. de dol. & contum Vid. Anton. Gomez in l. Tauri 76. n. 4. Hostiens. in aur. summ. ad tit. ut lit. non contest. n. 2. sub fin.* Hoc tamen procedit tantum modo, quando pro crimine de quo agitur, venit imponenda pœna corporis afflictiva; Ubi vero pœna relegationis, vel relegatione minor irroganda est, eo casu absens utique de Jure communi condemnari potest. *Bald. ad l. absentem 6. C. de accus.* imo ex generali consuetudine hodierna proceditur ad pœnam banni, teste *Jul. Clar. lib. 5. Sent. §. fin. quæst. 44. n. 3. ibique Bajard. in not.* quam consuetudinem non improbat *Bald. ad. d. l. 6. n. 6.* Pertinent vero ad subjectum hujus Exilii inter alios delinquentes & servi & hæretici. Servis equidem exilium proprie sic dictum infligi nequit. Per illud namque civitas amittitur, qua tamen servus caret, per jura notoria. *Meier. in Colleg. Argentor. tit. de pœn. thes. 5.* Quod si vero latius sumatur, quatenus & relegationem complectitur, pœna & liberis & servis communis est. Quamvis enim *Venulej. in l. hos accusare 12. §. ult. ff. de accus.* innuere videatur, relegationem servis non quadrare; Contra tamen servos relegari posse *ex l. 2. ff. qui & a quib. man. & l. 2. C. de sepulch. viol.* colligitur. Hinc Glossographi in conciliatione horum textuum variant. Sed absque hæsitatione probanda erit Johannis sententia, qui verba *d. l. 12. Sicuti relegatio*, affirmative accipienda esse dixit; hoc sensu: *Pœna pecunia-*

ria & capitis servorum pœnis non convenit, sicuti relegatio convenit. Quam Interpretationem viri doctissimi probant, interque eos *Cujac. & Brisson. lib. singul. ad L. Jul. de adult. c. si servus adulterii in princ.* Quod vero alii respondent, relegari interdum servum de facto non de jure, id plane inconveniens est. *Constant.* enim *in d. l. 2. C. de sepulch. viol.* jubet servum relegare, qui domini jussu sepulchrum violavit, *Anton. Matth. ad lib. 48. ff. tit. 18. c. 1. n. 10. Dn. Brunnemann. ad l. 12. ff. de accus. n. 3.* Hæreticos vero sedibus suis, ne alios erroribus suis inficiant, pellendos esse, constitutum est *in l. 3. & 5. C. de Haret. & Manich.* Consentit *Recess. Imp. de ann.* 1566. §. auf daß aber ꝛc. 5. verſ. So haben wir uns mit ihnen, den gemeinen Ständen, und Sie hinwieder mit uns verglichen, daß solcher Secten und irrigen Opinionen so, wie gemeldet, sich von beyden der alten Religion und Augspurgischen Confession absondern oder denselben zuwider seyn, vermüg des Religion-Friedens, keine gelitten noch gedult, sondern allenthalben der Gebühr und dem Religion-Frieden gemäß, gäntzlich abgeschafft werde. Multi quidem flammis ac ferro in hæreticos sæviendum esse docent, ut patet *ex Jul. Clar. lib. 5. sent. §. Haresis. n. 7. Cardin. Tusch. Pract. Concl. tom. 4. lit. H. Concl. 102. Petr. Gregor. Tholosan. de Republ. c. 4. sect. 10. Molin. de J. & J. tract. 3. Disp. 43. n. 2. Anton. Gomez. tom. 3. var. resol. c. 1. n. 79.* Unde quoque per ultimum supplicium *in d. l. 5.* pœnam mortis intelligit *Perez. ad C. tit. de haret. n. 3. sub. fin. & Lips. lib. 4. Polit. 1.* scribit: *Serio, serio hoc imbibite, nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamque summa vi debere defendi; Punias igitur, si quis turbat, clementia hic non est locus, ure, seca, ut membrum potius aliquod, quam totum corpus intereat.* Sed vero longe aliter sentit *Chrysostomus in homil. de Anath. Dogmata,* inquiens, *ab hæreticis profecta anathematizari oportet, hominibus autem ipsis parcere & pro salute ipsorum orare.* Melius proinde est, hæreticos prius placide monere; Quod si non resipuerint, a consortio ipsorum sibi cavere, eosque excommunicare, ne bonos inficiant, tandem etiam, si dogmatibus suis pertinaciter insistant, exilio plectere. Quæ sententia tantum abest, ut conscientiæ repugnet, ut potius Sacris Literis maxime conformis sit juxta *text. 1. Corinth. 11. vers. 17. 18. 19. Galat. 5. vers. 9. & seq.*

& seq. 1. *Timoth.* 6. *vers.* 3. *& seq.* 2. *Petr.* 2. *vers.* 1. ubi de hæreticis agitur, nullibi tamen, ut gladio puniantur, præcipitur.

XVIII.

Neque etiam alia mens fuit Imperatorum Romanorum. Quamvis enim Theodosius, Valentinianus, Martianus & alii leges tulerint in hæreticos, quibus eos interdum aliquot libris auri, interdum omnibus bonis, interdum exilio & verberibus, interdum ultimo supplicio mulctari voluerunt, ut patet *ex l. Manichæos* 4. *l.* 5. *& l.* 8. *C. de hæret.* attamen vel dicendum, dictas leges non universaliter & illimitate accipiendas esse de quibusvis hæreticis, ex sola etiam infirmitate errantibus, sed potius de blasphemis & talibus, quales fuere Donatistæ, qui turbas excitarunt, & ipsi in dissentientes sævierunt: Vel etiam notandum, quod Constitutiones Impp. in Jure nostro, capitis pœnam simpliciter hæreticis infligentes, non de naturali, sed civili capite, h. e. deportatione & exilio intelligendæ sint, prout asserit *Wesenb. ad tit. C. de hæret. n.* 6. *Hackelm. illust. disp.* 34. *th.* 14. *l. b.* Quo facit textus *in l.* 2. *C. ne sacr. bapt. iter.* ubi sancitum est, supplicio ultimo percellendos esse eos, qui sacrum baptisma iteraverunt, quæ lex, si non de exilio, sed ultimo supplicio accipiatur, pugnabit cum *l. f. C. eod. Wesenb. alleg. loc.* Accedit, quod nec Canones aliam, quam excommunicationis pœnam hæreticis irrogent, *c. excommunicamus* 13. *de hæret. c. ad abolendam* 9. *eod.* reliquam vero pœnam potestati & arbitrio Judicis secularis committant, *d. c. ad abolendam* 9. quæ arbitraria pœna regulariter ad mortem extendi non debet, *arg. l. hodie* 13. *ff. de pœn.* Et hinc communiter à Dd. receptum est, in dubio in quacunque dispositione, tam hominis quam legis, statuti pœnam capitalem intelligi debere non de morte naturali sed civili, h. e. deportatione vel relegatione, & sic de perpetuo exilio, quod successit in locum deportationis secundum *Gloss. in l.* 1. *pr. sup. verb. capitali C. ne Christ. mancip.* item *& Gloss. in l. f. C. de vet. numism. potest.* Quare explosis omnibus pœnis atrocioribus, religionem orthodoxam docendam, non imperandam esse credit *Anton. Matth. ad lib.* 48. *ff. tit.* 10. *c.* 6. *sub. fin. Reink. de R. S. & Eccles. lib.* 3. *c.* 1. *c.* 5. *n.* 31. Quod si vero hæretici sint vel seditiosi ac pacis publicæ turbatores, vel in SS. Trinitatem blasphemi, omnino ultimi supplicii pœna locum habebit, per ea, quæ tradit *Dn. Carpz. p.* 1. *Pr. Crim. q.* 44. *n.* 4. *& seq. Coler. p.* 1. *Dec.* 177.

 ubi

ubi *n. 3. ad Rol. a Vall. & Tiber. Decian. de Crim.* provocat.

XIX.

Modus imponendi hoc exilium ante omnia causæ cognitionem requirit, argumento aliarum pœnarum, ad quas non temere aut præcipitanter a Judice procedi, aut contra non auditam partem aliquid definiri debet, alioquin ordine Juris turbato totus processus erit nullus. *l. ex stipulatione 7. C. de sent. & interloc.* Commensurandæ namque sunt pœnæ delictis, *l. 31. C. de fals.* ne quid durius aut remissius in reum statuatur. Neque etiam severitatis aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso judicio, prout cujusq; res postulat, statuendum. *l. 11. pr. de pœn. Nov. 87. c. 10. Nov. Leon. 61.* Causæ itaque cognitionem sequitur sententia, per quam exilium irrogatur. Ea ipsa vero pro diversitate hujus exilii diversa est Interdicti namque modus in eo consistit, quod certis locis certave interdicatur provincia, reliquis liberæ fugæ patentibus *Anton. Matth. ad l. 48. ff. tit. 18. c. 1. n. 10.* ut quis habeat, ubi velit, vagandi licentiam, demto loco, qui prohibetur, *l. 5. ff. de interd. & releg. l. 7. §. solet. 19. ff. eod.* Et hæc interdictio relegatio quoque a certo loco vel exulatio dicitur. Sic Mariæ apud Israelitas impositum, ut extra castra moraretur, neque in ea reverteretur per aliquot dies, *Num. 12. vers. 15.* Eodem modo in exilium damnatus est Cicero a Crasso, Cæsare & Pompejo, cui interdictioni tamen publicatio bonorum adjecta, ejusque domus, tanquam hostis, solo æquata, area vero templo libertatis conservata fuit, alias jussus est abesse Roma 468000. passuum, prætereaque edicto cautum, ut si intra eos fines venisset, & ipse & qui eum suscepissent, impune a quibusvis occidi possent, ut ex *Dion. Cass.* refert. *Petr. Gregor. Tholos. sep. alleg. loc. n. 16.* Lata fuga quomodo fiat, ex descriptione ejus patet. Relegatio in insulam quidem formam deportationis habet, sed non tam severum est judicium. *Petr. Gregor. Tholos. d. l.* Nam in deportatione locus certus deputatur & definitur pœnæ causa, ex quo excedere non licet. Quod ipsum quidem in relegatione in insulam itidem occurrit, ejus tamen mitior causa est. Deportatio namque civitatem Romanam cum bonis aufert, *l. 6. pr. l. 14. §. 1. l. 15. pr. ff. de interd. & releg. l. 2. §. 1. l. 17. in fin. ff. de Publ. Jud.* unde forma deportationis non constituenda est in sola voce *deportationis,* sed in *ademtione civitatis, Dn. Tab. in not. ad Coll. Argent. tit. de interd. & releg. n. 7.* quæ non ad tempus

fit.

fit. *l.* 18. §. *un. eod.* sed peregrinitatem perpetuam inducit, insimulque *ἀπόλιδας* efficit. *l.* 17. §. 1. *de pœn.* Relegatis vero dies præstituitur, intra quem excedant. Moris enim erat ita pronunciare: *Illum provincia illa, insulisque relego, excedereque debebit intra illuta diem. l.* 7. §. *bis qui* 17. *de interd. & releg.* quæ sententia existimationem quidem civis minuit, non tamen consumit, aut caput de civitate eximit. *l.* 4. *l.* 5. *ff. eod.* Unde relegati, sive ad tempus, sive in perpetuum, bona sua, testamenti factionem tam activam quam passivam, ut & civitatem retinent, *l.* 7. §. 2. *ff. de interd. & releg. Anton. Matth. d. l.* Et licet cum relegatione in perpetuum possit quoque pars bonorum adimi, juxta *l.* 4. *C. de bis qui in exil. dat.* hoc tamen expresse fieri debet, tacitè vero relegationem non sequitur, perinde ut deportationem publicatio bonorum. *l. deportatorum* 8. *C. de pœn. ibique Brunnem. Matth. Wesenb. in Parat. ff. de interd. & releg. n.* 3. *Perez. ad C. tit. de bis qui in exil. dat. n.* 2.

XX.

In genere denique circa formam hujus exilii observandum est, quod illud extra deportationem, quæ non nisi in perpetuum fit, *l.* 18. §. *un. ff. interd. & releg. l.* 7. §. 2. *eod. Cujac.* 6. *Observ.* 25. variis imponatur modis; Quandoque enim irrogatur (1) ad certum & determinatum tempus, & tunc condemnatus illud observare debet, alias quod superest duplicatur, juxta text. expressum *in l. aut damnum* 8. §. *quisquis* 7. *ff. de pœn. ibique Bartol. & comm. Dd. Marta tom.* 2. *Digest. noviss. sub tit. Exilium c.* 4. Interdum (2) imponitur ad tempus quidem, sed indeterminatum, & tunc intelligitur impositum per decennium per *l. sine præfinito* 23. *ff. de pœn.* quem textum pro singulari habent *Bald. & Hahn. ad Wesenb. tit. de pœn. n.* 7. Aliquando vero (3) Judex pœnam exilii infert simpliciter, nulla facta temporis mentione & tunc quæritur: *An verba sententiæ de temporali, an vero de perpetuo exilio accipi debeant?* Resp. cum *Bartolo ad l.* 23. *ff. de pœn. & Hartm. Pistor. obs.* 189. quos sequitur *Dn. Carpz. in P. Crim. Q.* 130. *n.* 16. exilium sine temporis præfinitione injunctum in perpetuum durare, *per l. Servus* 10. *C. de pœn. ibique Cyn. Bart. Bald. Salic. & Dd. comm.* non obstante *l.* 23. *ff. de pœn.* quæ recte cum *Hartm. Pistor. dict. obs.* 198. de priori casu, quando scil. quis ad tempus relegatus, vel

in metallum damnatus fuerit, ſine certi temporis tamen præfinitione, accipienda eſt; tunc enim illud tempus indeterminatum de decennio rectè intelligendum eſt, ſecus ſe res habet in exilio ſimpliciter impoſito, quod perpetuum eſſe cenſetur. Et hanc ſententiam non ſolum defendunt *Gomez. tom. 3. var. reſol. c. 3. n. 3. Habn. cit. loc.* verum etiam ipſa Praxis, teſte *Carpz.* recepit. Quandoque denique (4) Judex imponit pœnam exilii ad beneplacitum & voluntatem ſuam, germ. auf fundliche Verlaſſung, quod medium quaſi locum obtinet inter perpetuum & temporale, pariterque valet, ut tradit *Gom. d. l.* ideoque ad arbitrium Magiſtratus revocari poteſt. *Habn. ad Weſenb. cit. loc.* Quod ſi vero Judex moriatur vel ab officio removeatur, quæritur, *an revocatum cenſeatur exilium hoc modo impoſitum?* Nonnulli putant quod non, potiusque in perpetuum durare cenſent *arg. l. centeſimis 46. §. pen. ff. de V. O.* Alii vero pœnam exilii ipſo jure revocatam & finitam eſſe exiſtimant, propterea quod voluntas poſita ad durationem & perſeverantiam alicujus actus, ſemper ceſſet & finiatur morte, *juxta l. 4. ff. locat.* & hanc ſententiam multi a *Gomez.* allegati Dd. amplectuntur. Quia tamen tribunal & judicium per mortem Judicis non exſpirat, ſed in alium tranſit judicem, & judex pœnam exilii ad beneplacitum imponens, non ſuam propriam, tanquam privatæ perſonæ, ſed publicam potius, judicis nempe cenſetur reſpexiſſe voluntatem, ideoque hoc caſu nec exilium revocatum, neque etiam perpetuum factum eſſe, ſed adhuc ita durare putamus, ut facultas & voluntas revocandi tranſeat in ſucceſſorem, ut recte docet *Gomez. d. l.* ubi & argumenta in contrarium propoſita reſolvit.

XXI.

Finis hujus exilii, perinde ac aliarum pœnarum, eſt, ut delicta propter mandatum Dei ad publicam utilitatem puniantur & illi formidine pœnæ emendentur, qui virtutis amore a ſceleribus abduci nequeunt. *l. 20. ff. de pœn. Coll. Argent. eod. tit. n. 19. Effectus* vero pro diverſitate exulum diverſus eſt. Exules namque deportati civitatem & inde dependentia jura omnia amittunt, ſicque ἀπόλιδες redduntur. *l. 17. §. un. de pœn.* Quapropter ipſis neque legatum, neque fidei commiſſum contra mores & Jus publicum relinqui poteſt, *l. 7. pr. & §. 1. ff. de legat. 3.* niſi ad victum alioſque uſus neceſſarios, ex qua cauſa relicta capere poſſunt *l. 16. ff. de interd. & releg. l. 3. pr. de his, quæ pro non ſcript. hab. l. 11.*

ff. de

ff. de alim. & cib. leg. l. 1. *C. de hared. instit. l.* 9. *& l.* 35. *ff. de mort. caus. donat.* Libertatem vero retinent atque jure gentium fruuntur, unde neca matrimonii vinculis liberantur, *l.* 1. *C. de repud. l.* 23. §. 1. *ff. de donat. int. vir. & uxor.* nec etiam emere, vendere, locare, conducere, permutare, fœnus exercere, aut postea quæsita pignori dare prohibentur, modo non fiat in fraudem Fisci, qui iis mortuis successurus est, juxta *Marcianum in l.* 15. *ff. de interd. & releg. l.* 17. §. *un. de pœn. l.* 7. §. *ult. de bon. damnat.* Sed quomodo deportati, qui tamen communione Juris Civ. destituuntur, contrahere possint, ingenia Dd. varie torsit? Sunt, qui post condemnationem quæsita ad hæredes damnati pertinere existimant, non solum ob responsum *Marciani in d. l.* 15. *ff. de interd. & releg.* sed & ob id, quod *Gajus in l.* 8. §. 1. *ff. de his qui testam. fac. poss.* scripsit, bona quæ reus habuit tum, cum damnaretur, publicari, quod apertius confirmat, *Paul. in l.* 22. §. 5. *de mand.* dum inquit: *Publicatis bonis quicquid postea acquiritur, non sequitur fiscum.* Verum hæc, ut ut speciosa, tanti tamen ponderis non sunt, ut sententiæ huic robur addere possint, præcipue quia aperte refragatur Alexandri rescriptum *in l.* 2. *C. de bon. proscript.* in verbis: *Deportati nec earum quidem rerum, quas post pœnam irrogatam habuerint, hæredem habere possunt: Sed & hæ publicabuntur.* Vnde *Marcian.* quoque *in d.* 15. permissionem commerciorum ita limitat, quod in fraudem fisci, qui ei mortuo successurus est, alienare post quæsita non possit deportatus; Ideoque ex *d. l.* 2. *l.* 8. *ff. qui test. fac. poss.* ita declaranda est: *Deportatum scil. postquæsitis bonis ad vitam quidem frui, ea tamen in proprio ipsius patrimonio non esse, sed mortuo eo a Fisco auferri,* sicque *l.* 22. §. 5. *ff. mand.* de mandato in post quæsitis, vel etiam de deportatione sine publicatione bonorum intelligunt. *Jason. ad pr. Inst. de Act. n.* 45. *Fachin. l.* 9. *controv. c.* 51. *Bacbov. ad Treutl. vol.* 2. *dis.* 6. *th.* 6. *lit. D. Ant. Matth. in tract. de crim. ad tit.* 18. *lib.* 48. *ff. c.* 2. *n.* 12. Per post quæsita vero illa intelliguntur, quæ damnatus industria sua quæsivit, aut si quid inter vivos ei donatum fuerit. In hæreditatibus & legatis quid obtineat, jam dictum est. *Add. Anton. Matth. d. l.* Quid jure novissimo hac in re constitutum sit, ex *Nov.* 134. *c. ult. & auth. bona damnatorum C. de bon. proscript. ut & art.* 218. *Ord. Crim. Carol. V.*

fusi-

fusius patet. *Evolv. Rittersb. ad Novell. p.* 13. §. 4. *n.* 5. *Brunnem. ad d. auth. Dn. Habn. ad Wesenb. de bon. damnat. n.* 6. *Steph. in Not. ad d. art.* 118.

XXII.

Effectus in exulibus relegatis & interdictis quis sit, ex antea dictis patet, videlicet quod, sive ad tempus, sive in perpetuum hoc exilium iis sit impositum, & civitatem Romanam, & testamenti factionem, nec non patriam potestatem retineant. *l.* 7. §. 3. *l.* 18. *de interd. & releg.* interim tamen locis interdictis abstinere & ex iis, quibus inclusi sunt, egredi non debeant, ne pœnæ & judicia eludantur, *l.* 4. *l.* 28. §. 13. *ff. de pœn. l.* 12. *ff. de interd. & releg.* alias si terminos exilii frangant, puniuntur, ita quidem, ut in iis, qui exulare quidem jussi sunt minus decennio, duplicetur tempus, quod restabat, si vero decennium vel ultra præfinitum ipsis fuerit, perpetuetur exilium, sin perpetuum fuerit impositum, pœna mortis adhibeatur *l. aut damnum* 8. §. 7. *ff. de pœn.* & hanc communem esse Dd. sententiam testatur *Jul. Clar. l.* 5. *Sent.* §. *ult. quæst.* 71. *n.* 13. quæ per se quidem vera est, ita tamen ab aliis illustratur, ut de duplicatione temporis, propter *l.* 8. §. 7. *ff. de pœn.* omnes consentiant. Cæteroquin si quis ad tempus vel certum vel indeterminatum exul factus fuerit, de pæna leges inter se dissentire videntur, dum *l.* 4. *ff. de pœn.* exilium perpetuum imponit, at *l.* 28. §. 13. *eod.* relegationem in insulam decernit. *Ludov. Peguera Hispan. in decis. crimin. c.* 41. (quem sequitur *Menoch. de arbitr. Jud. quæst. lib.* 2. *cent.* 6. *cas.* 530. *n.* 5.) per relegationem in insulam *in l.* 28. §. 13. intelligit relegationem in perpetuum. Aliter sentit *Hotom. in Lex. ad verb. exilium*, quem itidem sequitur *Menoch. d. l.* Aliter vero *Jacob. Cujac. l* 6. *Observ.* 36. quod scil. refuga ex temporario exilio, quandoque etiam, omisso perpetuo exilio, in insulam relegetur; Verum si arbitrio Judicis permissum esset, uno vel altero gradu poenarum neglecto, aliam eligere, tam accurata & diligens distinctio graduum *in l.* 4 *ff. de pœn.* necessaria non fuisset, quai e probabiliter dicendum erit illud, quod in *l.* 28. §. 13. *ff. de pœn.* de perpetuo exilio deest, ex *d. l. relegati* 4. supplendum esse, cum novum non sit, legem ex lege suppleri, *l. non est novum* 28. *ff. de LL.* Quare gradus pœnarum sic constituti sunt, ut exul temporarius, si redeat, perpetuo exilio puniatur, si hic redeat, in insulam relegetur, si in insulem relegatus redeat, peportetur, si deportatus redeat, capite plectatur, & sic semper pœna auge-

geatur. *Brunnem. ad d. l. 4. n. 2. & seq. Berlicb. p. 3. Concl. 72.* præcipue *Marta tom. 2. Dig. noviss. tit. de exil. c. 4.* Et hæc de pœna Juris Civilis.

XXIII.

Aliud vero obtinet in Imperio nostro Romano Germanico, cujus moribus hoc superadditum est, ut is, qui exilio mulctatur, Urphedam præstet & juramento promittat, se intra præfinitum tempus nolle reverti. Quod si contra juratam fidem redeat, priorum digitorum amputatione punitur, juxta dispositionem *Constit. Carol. art. 107. vers.* und nach dem im Heil. Reich, rc. *it. art. 108. v.* So aber einer ein Urphede, rc. *ibique Steph. in not. Berlicb. p. 5. concl. 72. n. 17.* De Jure Saxonico, quæ pœna in exulibus revertentibus obtineat, patet *ex Const. Elect. Sax. p. 4. Const. 48. ibiq; Carpz. defin. 1. & in Prax. Crim. p. 1. n. 47. Berlicb. p. 1. Concl. 72. n. 18. & seq. Matth. Coler. p. 1. Dec. 114. n. 8. Risbt. p. 2. Dec. 93. n. 24. & seq. Philipp. in Usu Pract. Inst. lib. 1. Eclog. 75. n. 4. & seq.* Sed hac occasione quæritur: *An ab una civitate vel loco in exilium missus, a tota Provincia censeatur ejectus, ita ut nullibi in ista provincia commorari ipsi liceat?* de Jure Civ. id quidem negandum videtur, propter *l. relegatorum 7. §. 15. ff. de interd. & releg.* ubi expresse constitutum, quod si alicui urbe fuerit interdictum, vel etiam certa quadam civitate vel præfectura, Patria tamen sua ei interdictum non sit, quare nec de tota Provincia relegatus videtur. Facit huc, quod quævis civitas peculiarem suam & separatam habeat jurisdictionem, quæ vires suas alio non extendit, *l. ult. ff. de Jurisd. Bart. ad l. non dubito 7. ff. de capt. & postlim. revers. n. 2. Bald. ad l. 8. C. de except. rei judic. n. 33. Clar. lib. 1. Sent. §. ult. q. 71. n. 11. Anton. Fab. in Cod. lib. 9. t. 24. def. 11. n. 1.* Unde inferunt, quod Studiosus, ab Academia relegatus, non censeatur è tota Provincia ejectus, in qua Academia conservatur, quod ipsa quoque confirmat experientia. Berlich. *p. 5. concl. 71. n. 19.* Sed extra hunc casum contrarium de consuetudine passim invaluit, ita, ut bannitus ab una civitate aut præfectura, à tota Principis Provincia bannitus censeatur, teste *Jul. Clar. d. l. n. 4. Berl. d. concl. 71. n. 10. 11. & 12.* qui consuetudinem hanc propterea rationabilem esse contendit, quod publice intersit, Provinciam malis hominibus purgari, *l. 13. ff. de off. Præs.* nec justum videatur, ut condemnati in territorio resideant.

XXIV.

XXIV.

Sicut itaque secundum Juris communis dispositionem è Patria exilio ejectus, Roma quoq; tanquam Patria communi, abstinere debet, juxta *l. 7. §. 15. de interd. & releg.* & tradita *à Jacob Belvis. in Pract. crim. in tit. de fug. reor. & Anton. Scap. in Pract. Jur. non script. quos refert Bajard. ad Jul. Clar. l. 5. §. ult. q. 71. n. 21.* Ita quoque consuetudinis factum est, ut bannitus vel relegatus ab uno loco censeatur quoque bannitus ab omnibus locis, qui sunt sub eodem dominio, quod non solum in statu Ecclesiastico expresse receptum est, per *Bull. Clem. VII.* sed & in Regno Neapolitano, *teste Bajard. d. l. n. 22.* imo generaliter hactenus obtinuit, adeo ut banniti Superiorum dicantur quoque banniti in terris subditorum, quamvis habeant merum & mixtum imperium. *Bald. in l. etiam 8. C. de Jur. dot. n. 6. & 7.* & banniti à toto statu, sive territorio Principis, intelligantur quoque exclusi à civitatibus & territorio postmodum per Principem acquisitis, ut tenet *Mars. in Pract. Crim. §. aggredior n. 22. & post* eum *Bajard. ad Jul. Clar. d. l. n. 26.* Hæc ipsa tamen exclusio ita temperanda est, ne ad jurisdictionem & locum penitus extraneum trahatur, in quo delinquens nullum habuit domicilium; Quod si vero ibi habeat domicilium, judicem quoque loci, ubi commissum est delictum, posse condemnare in pœnam exilii non solum à loco delicti, sed & à loco originis & domicilii *ex l. 7. §. interdicere 10. ff. de interd. & releg.* colligit *Bartol. ad d. §. interdicere 10. n. 5.* cum communi Dd. Schola, quam refert & sequitur *Gomez. tom. 3. Var. Resolut. c. 8. n. 3. sub fin.* it. *Bajard. ad Jul. Clar. d. l. n. 11. & seqq.* Denique etiam exilium ita, quantum fieri potest, imponendum est, ne noceatur creditoribus exulantis, quare si Fiscus non instet, & exilio creditores contradicant, debitor ejiciendus, si idoneam præstare nequeat cautionem, tamdiu in carceribus detinetur, donec solverit vel alio modo satisfecerit. Sed si fiscus exilium urgeat, creditorum quidem instantia tanti momenti non est. ut executionem impedire queat, consulitur tamen ipsis fidejussoria cautione de redeundo ad carceres finito exilio, & si illa præstari nequeat, statur juratoriæ, sicque tali promissioni, quæ haberi potest, ut tradit *Francisc. dec. 317. vol. 2.* allegatus à *Bajard. d. l. n. 7. & 8.*

XXV.

Et hæc quidem de deportationis atque relegationis exilio, ejusque effecti-

effectibus breviter delineasse sufficiat, jam paucis quoque ipsius usus practicus adjiciendus erit. Quamvis itaque deportationis & relegationis multa in Digestis & Codice fiat mentio, adeo ut Dd. hinc inde plures referant casus, in quibus hoc exilium ipso jure irrogatur, tamen in usu esse desiit, ut respondit *Cornef, lib. 3. Consil.* quem secutus est *Cravett.* Consentit *Imola, Alex. in Cons. Roland. a Vall. in Consil.* præcipue *Jul. Clar. l. 5. Sent. §. fin. q. 67. n. 8. & 9.* cum Dd. pluribus ibid. allegatis, (exceptis quibusdam paucis locis, ubi deportationis adhuc obtinet pœna, quos recenset *Jul. Clar. d. l. n. 8.*) Unde, quod deportationem attinet, nonnulli statuunt, quod loco illius successerit hodie decapitatio, ut ex *Roman. Sing.* refert *Aug. Arimiensis ad Ang. Aretin. de Malef. in verbo Falsario post n. 48. sub fin.* quam conclusionem tamen falsam esse dicit: Alii vero asserunt, quod loco deportationis successerit bannum perpetuum & ita sentiunt *Cuman. Cravett. & Guid. Pap. dec. 423. n. 4.* Alii denique dicunt, quod hac in re certa nequeat tradi regula, sed quod loco deportationis judex imponere possit pœnam arbitrariam, juxta qualitatem facti & personæ, prout sibi convenire videtur, ita ut vel condemnatio ad triremes tum in perpetuum, tum ad tempus, vel exilium, vel etiam alia pro gravita te delicti obtineat pœna, quam sententiam tuetur *Jul. Clar. q. 67. n. 8.* hæcque posterior & veritati & praxi convenientior est. Neque enim consulendum Judici, ut loco deportationis imponat pœnam mortis, nisi illam vel statutum locorum, vel consuetudo rationabilis approbaverit. Relegationem vero quod concernit, in ipsius locum exilium sive confinationem successisse, restatur *Jul. Clar. cit. loc. n. 9.* Cui quidem eatenus calculum addimus, quod hodierna praxis inter interdictionem & relegationem utplurimum nullam agnoscat differentiam, sed quamcunque expulsionem è Republ. factum pro exilio sive relegatione habeat, ipsique jura Exulum hactenus proposita applicet, ut ex traditis *Dn. Carpz. p. 3. Pr. Crim. q. 130. n. 13. & seq.* fusius patet. Nihilominus tamen & relegatorum in insulam exempla in iis ostendimus, qui propter delictum condemnantur, ut in Hungaria, aliisque certis provinciis, vel per tempus, vel etiam in perpetuum cum Turca aliisve Imperii hostibus pugnent, sicut & lata fuga hodienum nonnulli pro re nata circumscribuntur, quorum absentia officit magis, quam prodest. Exempla sunt in promtu.

XXVI.

Quamvis vero juxta tradita th. anteced. in locum deportationis

neuti-

neutiquam successerit bannum, quod vel inde sufficienter patet, quia iis casibus, quibus deportatio quondam obtinuit, hodie banno non utimur, sed id propterea adinventum videmus, ne rei fugitivi & absentes, quibus pœna ultimi supplicii imponi nequit, impuniti evadunt, sed vel ob crimen perpetratum vel etiam, si de eo nondum convicti sint, ob contumaciam in non comparendo coerceantur, atque ex provincia quadam proscribantur: Communiter tamen deportationi bannum æquiparatur, quia bannitis aqua & igni interdicitur, (unde germ. einem Wasser und Weidt verbieten idem est ac in die Acht erklären,) perinde ut apud Romanos deportatis, ut tradit *Carpz. p. 3. Pr. Crim. q.* 140. *n.* 14. Sed hæc æquiparatio non nisi sano sensu procedit, cum haud parum nostrum bannum à deportatione differat, quin etiam, si accuratius rem intueamur, bannum imperiale deportatione longe gravius est. Nam deportati licet civitatem & ea, quæ Juris civilis sunt, amittant, juxta antea dicta *& l.* 6. *pr. ut & l.* 14. §. 1. *ff. de interd. & releg. l.* 17. §. 1 *ff. de pœn.* illa tamen, quæ Juris Gentium sunt, retinent, *l.* 17. §. 1. *de pœn. & l.* 15. *pr. ff. de interd. & releg.* Banniti vero non solum desinunt esse cives Romani Imperii, & per consequens privantur omnibus juribus civilibus, sed etiam omnia humanitatis jura, officiorumque vicissitudines, bona & commercia, atque sic etiam ea, quæ Juris Gentium sunt, amittunt. *Ord. Cam. p.* 2. *tit.* 10. §. 3. *Gail. de Pac. publ. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 20. *& seq. Blum. in Proc. Camer. tit.* 19. *n.* 190. Deportati porro manebant sub Imperii Romani ditione adeoq; etiam sub ejus tutela, *arg. l.* 10. §. 6 *de in jus voc. l.* 13. §. 1. *de donat. int. vir. & uxor. l.* 7. *de leg.* 3. *l.* 17. §. 5. *ad SCt. Trebell. l.* 5. §. 1. *& ult. ff. de publ. jud. l. ult. pr. de pœn. l.* 7. §. *ult. de bon. damnat. l.* 2. *C. de bon. proscript. l.* 12. §. 15. *de capt. & postlim. reverß. l.* 4. §. 2. *de re mil. aliisve text.* At banniti à tutela Imperii Romani prorsus exclusi sunt *R. I. de anno* 1544. §. Wir haben 63. v. Wann er aber ꝛc. Extra Imperium tamen Romanum inviolabiles existunt tam in persona, quam in bonis, quia Bannum Imperiale extra fines Imperii se extendere nequit, *arg. l. ult. ff. de Jurisd. Blum. in Proc. Camer. tit.* 29. *n.* 85. ubi dicit, quod bannito ex Imperio bona, quæ in Suecia, Dania, Anglia, Hispania, Hollandia aut alibi extra Imperium habent, salva maneant.

XXVI.

Alias Bannum partim *Imperiale*, partim etiam *Provinciale* est,

Webn.

Webn. in Observ. Pract. sub voce Acht. *Gail. de Pac. Publ. lib. 2. c. 1. Sichard. ad l. 1. C. de hared. inst.* Provinciale ultra Status bannientis territorium se non extendit, in ditione tamen ipsius tantum roboris habet, quantum Bannum universale in Imperio Romano. *Petr. Theod. in Coll. Crim. Disp. ult. th. 4. Carpz. p. 3. Pr. Crim. q. 140. n. 30. & 31. Imperiale* vero iterum subdividitur in *bannum* stricte sic dictum & *privationem* omnium bonorum ac Jurium Imperii, quæ duo quidem in eo differunt, quod in banno præter offensionem bonorum etiam permissa sit offensio corporis seu personæ bannitæ; in privatione vero sola offensio bonorum sit licita. Quoad reliqua vero in omnibus coincidunt. Quapropter disposita in Constitutionibus Imperii de Banno, in privatione quoque obtinent. Et hæc privatio *in fæminis* habet locum, ne condemnatæ prostituantur, sed habeatur ratio verecundiæ ac pudoris, ut & *in Masculis Ecclesiasticis,* quia ratione personæ Pontifici Romano subsunt. Quare Cæsar eosdem banno imperiali ferire nequit, si tamen feuda ab Imperio recognoscant, aliisque Imperii juribus fruantur, iis privari possunt, quoniam eatenus Jurisdictioni Cæsareæ subsunt, quæ ratio efficit, ut & Ecclesiasticos Protestantes banni exilio subjiciat *Blum. in Proc. Cam. dict. t. 29. n. 184. Dn. Strauch. Diss. Exot. 6. th 17. sub fin.* Cæteroquin à quonam hoc bannum irrogetur, in quibus causis, (quarum quindecim numero recenset *Blum. in Proc. Cam. t. 29. n. 87. & seq.*) qua forma & modo, illud aliunde fusius constat. *Vid. Dn. Strauch. d. th. 17. & 18.* Nobis hoc monuisse sufficiat, quod de modo procedendi *in Instrum. Pac. art. 8. §. 3.* ita cautum sit: *In proximis Comitiis &c. de modo & ordine in declarando uno vel altero Statu in Bannum Imperii, præter eum, qui alias in Constitutionibus Imperii descriptus est, tenendo, &c. ex communi Statuum consensu agatur & statuatur,* quam constitutionem adhuc hodie expectamus; Monitum autem fuit à Statibus, ut declaratio banni imposterum semper fiat in Comitiis universalibus, consensu omnium Statuum, ut Acta Comitialia Ratisbonensia testantur.

XXVII.

Jura circa hoc Exules bannitos recepta, si verum fateri velimus, tri-

stissima sane sunt. Primo namque in bannum per sententiam declaratoriam, quæ ubique requiritur, teste *Gail. l. 2. de P. ac. publ. c. 3. Dn. Strauch. d. thes.* 18. condemnati infames redduntur. *Ord. Cam. part. 2. tit.* 10. §. Und wo Er 3. (2) Feuda ac bona sua amittunt, *Ord. Cam. part. 2. tit.* 9. §. So jemands 2. (3) Omnia jure ante & post Bannum quæsita perdunt, quare etiam omnes obligationes, juramenta & pacta ex parte bannitorum, in quantum illis prosunt, irrita fiunt. *Ord. Cam. d. t. vers.* darzu alle Verschreibungen, ꝛc. (4) Aquæ & ignis interdictione puniuntur, ita ut à nemine recipi possint. Quamobrem nemo ipsis potum subministrare, quin potius quilibet eosdem aversari, detestari & velut hostes persequi debet. *Ord. Cam. d. t.* 10. §. und wo Er, ꝛc. 3. (5.) In banno ultra annum subsistentes censura ecclesiastica notantur. Käyserl. Landsf. de Ao. 1548. tit. von denen, die über Jahr und Tag in der Acht verharren. Quinimo (6) ipsis sacris interdicitur. *Ord. Cam. p. 3. t.* 48. §. und ob die Obristen 9. Denique etiam omnium ludibrio & prædæ exponuntur, ut a quibusvis tam quoad personam suam, quam in rebus & bonis impune offendi queant, *Ord. Cam. p. 2. tit.* 9. §. So jemand in verb. Sollen des oder derselben Leib und Gut allermänniglich erlaubt seyn, und niemand daran freveln oder verhandeln können oder mögen, quod autore *Julian. Magenborst. in Comm. ad Ord. Cam. d. tit. & §.* adeo verum est, ut in Judicio Cameræ non decernatur securitas vel inhibitio. *Add. Guilielm. Roding. Pandect. Cam. l. 1. t. 8. ejusque Comment.* ubi plura de effectibus banni proponuntur. *it. Dn. Strauch. d. Diss. & th.* Si tamen mulier bannita sit, pudori ejus impune illudi nequit; Neque enim stuprum & adulterium pœnæ vice funguntur. *Anton. Matth. ad lib. 48. ff. t. 5. c. 2. n. 4.*

XXIIX.

Exinde vero, quod exules banniti omnium prædæ expositi sint, Dd. porro deducunt, eosdem salva conscientia impunè à quovis occidi posse, ut cum *Gail. de P. P. l. 2. c. 5. n. 12. & seq.* statuit *Blum. in Proc. Cam. tit. 29. n. 182.* Consentit communis Dd. & Moralistarum Schola, ut ex *Bart. Bald. Paul. Castr. Alber. Rosat. Jul. Clar. Filliuc. Nell. à Sanct. Geminian. Laymann. Grot. lib. 2. c. 20. §. 17. sub fin.* alisque patet. Unde *Hennig. ad Grot. d. l.* colligit, quod quandoque utilitate publica sic suadente, etiam privati executores justitiæ dari possint, imo

Dra-

Draconis lege permissum fuisse, exules propria autoritate capere & occidere, si scil. in loco interdicto reperirentur, testatur *Petr. Gregor. Tholos. sæpius cit. libr. c. 6. n. 18.* Restringit tamen hoc ipsum assertum *Anton. Matth. cit. c. 2. n. 2.* quod non obtineat in bannitis ab inferioribus Principibus. Licet enim jura Provinciæ, qua ipsis interdictum est, amittant, tamen fortunis suis nec spoliari, nec etiam impune à quovis occidi possunt. Cæteroquin cum omnium internecioni expositum esse, tristissimum sit, non nisi in seditiosis, rebellibus & refractariis hoc ipsum admittit homicidium. Quapropter ita proscriptos hominibus sacris æquiparat. Dicebatur vero sacer homo, cujus anima Diis destinata erat, & quia ad Deos pervenire non poterat, nisi soluta corpore, ideo hominem sacrum occidere fas fuit, teste *Macrobio.* Hinc *Festus* asserit, quod is, qui hominem à populo ob maleficium judicatum occidisset, in homicidii pœnam non inciderit. Nam lege tribunitia prima cautum erat: *Si quis eum qui eo plebiscito sacer sit, occiderit, parricida ne sit.* Verum quicquid etiam in foro exteriori de hac internecione statuendum sit, nobis sane, præcipue in foro conscientiæ, non omnino tutus videtur, qui qualemcunque bannitum occidit. Quamvis enim *in Ord. Cam. p. 2. t. 9.* hæc inveniantur verba: Sollen deß oder derselben Leib, rc. illa tamen non ad quamvis occisionem, sed ad capturam potius spectant, ita ut si illam renuant, atque resistant, banniti etiam occidi possint. Nec enim singulis est concedendum, quod per Magistratum fieri debet, *l. 176. ff. de R. I.* præcipue si bannitus non resistat, sed sui capturam permittat, tunc enim judiciorum exposcit vigor, ne quisquam sibi indulgeat privatam vindictam *l. nullus 14. C. de Judæ,* etiamsi alter sceleratissimus dicatur, ne prætextu zeli, Reipublicæ nomine suscepti, quis vindictam exerceat privatam. *l. fin. C. de Malef. & Mathem.* Quod etiam Senatus consulto Romæ sancitum fuit, teste *Petr. Greg. Tholos. cit. loc.* Quare & ipse *Filliuc.* postquam usum concedendi talem facultatem, ut proscripti publice, vel banniti à quolibet occidi possint, approbat, limitationis gratia sequentia addit verba: *Curandum tamen, ut absit animus vindictæ & odii, quod intercederet ob privatas offensiones.* Hinc duplici distinctione utitur *Anton. Matth. alleg. tit. 5. c. 2. n. 2.* (1) Num is, qui occidit Reipublicæ consultum voluerit; an vero publicæ devotionis prætextu privatas injurias ultum iverit (2) an omnino intersit Reipublicæ, cæsum quo-

quoquo modo tolli, ut quia ad patriam delendum hostili animo venit, an vero nullum ab eo Reipublicæ periculum immineat. Priori casu conscientia interficientem absolvit, quippe quæ suadet, ut hostem Reipublicæ opprimamus. Posteriori vero damnat, adeoque si nullum Reipublicæ immineat periculum, quiescendum esse, recta ratio suadet. Condemnavit quidem & hunc Respublica, sed permisit, non jussit occidere. Quare si nobis occurrat, repetamus mente illud *Senecæ:*

Res est sacra miser. Noli mea tangere fata,
Sacrilegi bustis abstinuere manus.

Limitationibus hisce adhibitis, communis Dd, theorica tolerari potest.

XXIX.

Denique exilio necessario quodammodo æquiparatur migratio à Magistratu imposita, quando Magistratus subditis propter delictum venditionem bonorum & migrationem ex certo aliquo loco imponit, wann den Unterthanen auferlegt wird, ihre Güter unter den Gerichten zu verkauffen, und sich anderswohin zu wenden, quæ exilii species refractariis & ad rebellionem pronis subditis irrogari solet, de qua *vid. Carpz. Pr. Crim. p.* 3. *q.* 130. *n.* 56. & *Mev. ad Jus Lubec. l.* 1. *t.* 1. *art.* 6. *n.* 28. Simili modo hodie quibusdam in locis detrectatoribus munerum publicorum dictatur amissio habitationis in urbe, quæ tamen perinde ut migrationis impositio multum & quidem in eo à relegatione & exilio distat, quod huic obnoxiis in civitatem redire non sit permissum, ut supra dictum. Habitatione autem exclusis hospitii & commorandi jura non sunt denegata, sed incolatus saltem & usus civilium immunitatum atque beneficiorum tollitur. Atque hoc pœnæ genus Jure Civili incognitum esse tradit *Mev. ad Jus Lubec. cit. t. art.* 6. *n.* 28. Antiquis enim temporibus ejusmodi detrectatores ab Atheniensibus capite, à Romanis libertate, à Spartanis exilio mulctabantur, teste *Gumpelzh. apud Arum. de Jur. Publ. vol.* 2. *disc.* 25. *th.* 36. *vid. Mev. alleg. loc.*

PARS

PARS POSTERIOR

Exilium miserabile ejusque jura proponit.

§. I.

Hactenus, *de Exilio vituperabili*, ejusque Juribus. Restat, ut de *miserabili* agamus, quod ipsum ita vocamus, quia sine culpa patientium contingit, adeoq; illos, qui hoc modo è Republica ejiciuntur, commiseratione dignos non immerito reddit. Est vero duplex, vel *voluntarium* vel *necessarium*. *Voluntarium* est, quando homo pristinæ societatis actum exercens, vis majoris evitandæ causa aliorsum se recipit. Quousque vero spontanea ejusmodi migratio sit licita, ex modis, quibus quis in civitatem est receptus, dignoscendum venit. Quidam enim justo bello ducti, aut duro necessitatis telo adacti in civitatis alicujus ditionem concedunt, quorum libertas quæ & quanta sit, ex legibus civitatis dijudicari oportet. Nonnulli vero, qui vel nullius ante imperio subjecti, vel eo, quo tenebantur, jam soluti sunt, sponte se civitati alicui adjungunt, & itidem ex statutis civitatis ejus judicandum erit, quidnam libertatis ipsis sit relictum; Dantur enim civitates, ex quibus citra expressum earundem consensum migrare non licet, & si maxime liceat, certo tamen onere licentia redimenda est, qualia statuta aut mores libertati derogantia omnino valida sunt, juxta *Grav. ad Gail. l. 2. Obs.* 36. *Consid.* 2. *n.* 2. & *Mev. ad Jus Lubec. lib.* 1. *art.* 2. *num.* 70. Quod si vero nullæ hac de re extiterint leges, quilibet civis hanc emigrandi licentiam ex Jure Naturæ habere censetur, ut prolixius demonstrat *Pufend. de Jure Nat. & Gent. l.* 8. *c.* 11. *§.* 2. *Necessarium dicitur*, quando quis sine culpa præcedente ex Imperio aut ditione à Superiore ejicitur.

II.

Causa efficiens hujus exilii pro diversitate ipsius diversa quoque est: Causam namque voluntarii recte libertatem naturalem constitui, nemo unquam negabit. Quamvis enim patres familias, qui initio civitatis jus impetrarunt, non concivibus tantum, sed & Majestati, cui se semel subjecerunt, obligati sint, ac pacto se obstrinxisse intelligantur, quod vires suas in commune collaturi sint (unde etiam non videtur permissum, ut altera parte invita discedant, *Arnis. de Republ. lib.* 1. *c.* 5. *sect.* 7. *n.* 18.) attamen sicut aliis Societatibus renunciare potest socius, si modo id citra

dolum malum, non intempestive & in fraudem cæterorum fiat; Ita quoque juxta tradita *in th. antec.* quis juribus alicujus civitatis, bello imprimis aliave necessitate adductus, renunciare atque sponte emigrare poterit, adeoque pactum, si quod inter civem & recipiendum intercessit, ita explicandum est, ut quam minimum lædatur libertas naturalis. Qui enim civitati se adjungit, ille sui, rerumque suarum cura haud se abdicat, sed id potius agit, ut omnia sarta tecta conservet. Cum tamen sæpius contingat, ut publicum regimen privatis alicujus rationibus varias ob causas parum expediat, & alibi commodius iisdem prospici queat, minus vero commodum, aut etiam impossibile sit, ad unius vel paucorum lubitum Rempublicam reformare, ideoq; sine injuria licentia emigrandi denegari non potest *Pufend. d. l. 8. c. 11. §. 2. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 5. §. 24. n. 2.* Quod ipsum quoque Jus nostrum Civile agnoscit, quippe cujus ductu cives aut subditi, qui natura liberi homines sunt, invitis Dominis & Superioribus, Jus Civitatis resignare, alio migrare & civitatem petere possunt. *l. 5. §. fin. ff. de capt. & postlim. R. I. de anno* 1555. §. Wo aber unsere 24. *Gail. l. 2. Observ. 36. n. 4. Mev. d. l. n. 69.* modo non malitiose & in fraudem hæc renunciatio fiat, eo scil. tempore, ubi pro commodis ante perceptis onera & pericula subeunda sunt, ut quis iisdem se subducat, *l. incola 34. ff. ad municip. l. 1. C. de incol.* Servanda enim hic regula naturalis æquitatis, quam in privatis societatibus servari convenit, ut instar illarum Civilis Societas non dirimi possit, nisi eo tempore, quo societatis non interest, ut duret, cum magis quod huic, quam quod uni expedit, attendi debeat. *l. actione 65. §. Labeo 5. ff. pro soc. Hug. Grot. d. lib. 2. c. 5. n. 24.*

III.

Et hanc posteriorem limitationem in nostris quoque exulibus migraturis obtinere censemus. Quamvis enim necessitas non habeat legem, atque vel belli, vel etiam Superiorum iniquitas ipsis justissimam migrandi præbeat causam, nihilominus tamen ex debito & decoro observare debent, ut partim indicent discessum, cum civitatis plerumque intersit, nosse civium numerum, partim etiam tempestivè migrationem suscipiant, quando videlicet civitatis non peculiariter interest, ne discessus fiat. Semper quippe, ut rectè inquit *Proculus in l. 65. §. Labeo. 5. ff. pro soc.* non id, quod privatim interest unius ex sociis, servari solet, sed quod societati expedit: Interest autem societatis civilis, non abire civem, si magnum contractum

fit

fit æs alienum, nisi paratus sit in præsens partem suam solvere; item, si fiducia multitudinis bellum sit susceptum, præsertim si obsidio immineat, nisi alium æque idoneum in locum suum substituat, qui Rempublicam defendat. *Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 5. §. 24. ibique Zigler. Pufend. d. l.* Atque huc spectare videntur argumenta, per quæ *Dn. Osiand. ad Grot. d. l.* evincere vult, cives invito Principe propter adamantinum vinculum, quo Imperantes & subditi constringuntur, discedere non posse. Sed vero *an gregatim discedere possint*, quæritur? Sane in thesi id negant Moralistæ, cum societas civilis hoc modo subsistere nequeat, secundum *Grot. lib. 2. c. 5. §. 24. n. 2.* Et quamvis nonnulli, quos inter *Pufendorf. d. lib. 8. c. 11. §. 4.* huic asserto Grotiano parum roboris inesse credant, propterea quod societas civilis non videatur tolli, licet hæc vel illa civitas per migrationem civium gregatim factam insigniter debilitetur, aut tandem plane desoletur, cum unius Reipublicæ decrementa alteri parere soleant incrementa; Grotio tamen suffragantur illa, quæ antea dicta sunt, *tempestive scilicet fieri debere discessum & quando Civitatis peculiariter non interest, ne is fiat;* at vero maxime ejus interest, ne ejus corruptio totalis alterius sit generatio. Unde in hypothesi, quoad nostrum casum, migrationem gregatim factam superior quidem, si boni publici conservatio atque inevitabilis mali propulsandi necessitas suadeat, prohibere potest, sed ut migraturis iterum succurrat, gravaminaque tollat, æquitas maxime exposcit, cum & alias multi statuant, quod ne quidem statuto introduci possit, ne quis domicilium mutet, quam sententiam post *Schepliz. ad consuet. Brandeb. Ritter. de homag. Besold. in Thesaur. Francisc. de Amay. & Klock. de vectig.* occasione *l. 28. §. 1. ex quib. caus. major. & l. 71. §. 2. de condit. & demonstr.* defendit *Nicol. Myler. in addit. ad Rumelin. dissert. ad A. B. p. 2. Dissert. 5. th. 5. lit. A.* Quamvis contrarium tueantur *Rum. d. th. 5. Bodin. lib. 1. de Republ. c. 6. Menoch. Consil. 1176.* ubi multis defendit rationibus statutum Ducis Parmensis, qui subditis suis interdixit, ne è civitatibus suæ Jurisdictioni subjectis emigrarent, quæ posterior sententia certo modo verior est, neque enim negamus talibus pactis intrari posse civitatem, & mores vim pacti accipere, sunt verba *Grot. in* hac ipsa materia *lib. 2. c. 5. §. 24. n. 1.*

IV.

Necessarium vero à Superiore imponitur. Ubi non incommode quæritur: ***An Civitas vel Respublica nullo præcedente delicto civem invitum pro arbitrio suo expellere possit?*** Quod merito negandum; quia arbitrium excludendi aliquem à Civitate haud cæcum & omnino liberum, sed rationi adstrictum esse debet, cum non levis injuria in eos redundet, qui sine omni ratione excluduntur. Nec enim merum Magistratus est beneficium, fieri civem, sed libertas potius communis, cujus favor probabilis semper est, ut neminem ea fraudare vel privare temere liceat ***l. un. C. de SC. Claud. toll.*** Utilitati quoque Reipublicæ hoc ipsum refragatur, quæ amplianda potius, quam minuenda ***l. pæn. C. comm. de manumiss.*** Denique Superiorum quam maxime interest, augeri magis imperium hominum adjectione, quam pecuniarum copia ***l. cum ratio 7. §. si plures 3. ff. de bon. damn. vid. Mev. ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 2. art. 2. n. 57. in addit.*** Hinc Cicero inter fundamenta libertatis posuit, ne quis invitus civitate privaretur. Neque ideo deterior sit conditio civitatis, quam singulorum civium. quod hi pro lubitu migrare possint, illa vero invitos expellere nequeat. Qui enim in civitatem quandam se recepit, omnes suas rationes saltem in præsens eidem velut illigat, quæ tamen turbari semper possent, si quolibet tempore expulsio subditorum esset licita. Quare cum hoc odiosum sit, civis à civitate quasi stipulari intelligitur, ne invitus præter meritum ejiciatur. Contra vero Civitas fortunas suas & incolumitatem uni alterive vulgari civi non superstruxit, adeoque nihil, aut parum ipsius interest, si is pro lubitu emigret. Nec invidendum est civi, quod hic plusculum ei liceat, quam civitati, nam ubi ille ad arbitrium civitatis sese non composuerit, facile in ordinem redigi poterit; civi vero, si Reipublicæ administratio ipsi displicuerit, nihil aliud relictum est, quam patientia aut emigratio. ***Pufend. de Jur. Nat. & Gent. lib. 8. c. 11. §. 6.*** Quamvis vero Superior pro suo arbitrio subditos expellere nequeat, nihilominus tamen aliud remedium minus odiosum habet, per quod cives suspectos aut supervacuos amoliri potest, ut cæteris laxior locus fiat, si scil. eos in colonias transcribat, quæ coloniæ regiones hominum multitudine laborantes ita exonerant, ut populi, hominibus quondam abundantes, hoc remedio a fece populi sese optime liberaverint. ***Add. Dn. Conring. in Coll. MSS. de Civ. Sing. Rerump. Prud. ad Hispan.*** Verum & hoc re-

medio

medio licito neglecto, sæpius etiam innocentissimos in exilium miserabile per multa retro secula, tum penes Græcos tum penes Romanos & Germanos, a Superioribus deprehendimus ejectos *Add.* illa, quæ *part.* I. *huj. Dissert. th.* 7. proposita sunt.

V.

Subjectum hujus exilii sunt vel *persona publica*, vel *privata*. Illius generis sunt Reges vel Principes a subditis suis pulsi, qui utcunque possessionem amiserint, Jus Regni tamen retinent, teste *Grot. l.* 2. *de J. B. & P. c.* 16. *n.* 17. quia vi ejectus perinde habetur, ac si possideret, cum interdicto recuperandæ possessionis potestatem habeat repetendi, & spoliatus ante omnia restituendus sit, *l. si quis* 7. *C. und. vi. l.* 22. *ff. de acquir. vel amitt. possess.* adde, quod improba & violenta possessio possessori suo prodesse non debeat, *l.* 7. *C. de acquir. possess.* Hinc tota die videmus, quemadmodum Principes vi dejecti, aut alias prætensionem in regionem quandam foventes mordicus retinere soleant titulos, quod & olim non infrequens fuisse exempla passim ostendunt. *Vid. Herm. Hermes in fasc. Jur. Publ. c.* 6. *quæst.* 27. ubi concludit, Electorem ditione Electorali a subditis suis rebellibus exclusum, nihilominus votum & sessionem in Collegio Electorali retinere. Dissentit quidem *Joh. Frider. Horn. de civit. l.* 2. *c.* 9. §. *ult.* qui existimat, ipsa actualis invasoris possessione & dejectione veri Regis imperium ad invasorem transferri, unde *d.* §. 21. *n.* 1. *& seq.* talia proponit verba: *Quam primum occupator & invasor Majestatem possidet, pristinus imperans excluditur. Duo in solidum Majestatem non participant. Quamdiu Princeps Majestatem habet, alius nemo eandem ad se trahit, quando vero alius possidet jam alter amisit.* Denique etiam *n.* 10. *& seq.* concludit: *Sive taceat pridem possessor, videtur donasse imperandi facultatem, sive bello petat invasorem, tamdiu retinet ille imperium in subjugatos, donec pari vi aut pactorum conditionibus iterum amittat. Nec injustitiæ causa imperium tollit; quia hoc semper a Deo, non a bello est, licet per bellum &c.* Verum quicquid etiam statuat, æquior est sententia, apud legitimum Regem exulem manere imperium, nec transire ad invasorem prius, quam & ipsum imperantem sibi

 subje-

ſubjecerit. Neque enim propterea, quod populum ſub jugum miſit, imperium adeptus eſt, quod non apud populum ſed Regem fuit, qui in fidem invaſoris nondum venit. Neque Deus legitimum Principem ante realem ſubjectionem privare imperio illudque in illegitimum invaſorem conferre voluiſſe cenſendus eſt, Imo vero ex Horniana ſententia hoc ſequeretur iniquitatis, fas non eſſe ſubditis, legitimum dominum in recuperatione regni adjuvare, quia ſcil. obſequium latroni violento debent. Nec ſtatim ſequitur, ſi taceat pridem poſſeſſor, videri donaſſe imperandi facultatem, quia alia voluntatis ſigna accedant, neceſſe eſt. Quid ſi enim Regi idoneæ vires & auxilia nondum adſint, anne ſtatim donaſſe cenſebitur? Minime vero; ſed expectaſſe videtur commodius tempus repetendi regnum ſuum. Aliud obtinet in populo libero, ſi vel expreſſe vel tacite invaſionem prædonis legitimaverit. *vid. Horn. d. c. 9. §. 3. ibique Achilles Epſtein. in not. add. §. n. 28.*

VI.

Perſonæ privatæ ejiciuntur vel per *vim Superioris*, vel etiam *propter religionis diſſidium*. Si per vim Superioris ejiciantur, rectiſſime faciunt, ſi occulto Dei judicio morem gerant, nec Principi ſuo, quamvis poteſtate divinitus ſibi conceſſa abutenti, reſiſtant, cum nec naturale nec divinum jus ullam ipſis in Principis perſonam concedat licentiam, *vid. Grot. l. 1. de J. B. ac P. c. 4. n. 1. & 2. Carpz. de Leg. Reg. Germ. c. 14. ſect. 1, & 2.* Superiori quidem ſeculo hac de re valde diſputatum fuit tam in patria noſtra, quam imprimis in Gallia. Præcipuam malitiæ operam navavit *Buchananus* cum aliis aſſeclis: Hos tamen *Guilielmus Barclajus* in elegantiſſimo contra Monarchomachos profligavit libello. Illud ſane apud omnes extra controverſiam eſt, ſi quid Superiores imperent, quod divino & naturali juri contrarium eſt, præceptis eorum non eſſe ſtandum, cum, ex Apoſtoli doctrina, Deo magis, quam hominibus obediendum ſit. At vero, ſi in tali caſu, quod Superiori Majeſtatem habenti ita libeat, injuria nobis inferatur, ea potius toleranda eſt, quam vi reſiſtendum. Non igitur facere poſſumus cum *Proſper. Farinac. in Pr. Crim. & Georg. Obrecht. de ae ſenſ.* quos ſequitur *Berlich. p. 4. Concl. 12. n. 10.* ſtatuentibus, ſubditum poſſe ſummum Principem propter offenſam impune occidere. Verior eſt contraria Grotii aliorumque ſententia, inter quos eminet *Jul. Clar. lib. 5. Sent. §. homicidium n. 30.*

Hinc

Hinc omnium optime tria remedia contra Principis absoluti tyrannidem subditis concessa proponit *Dn. Carpzov. ad Leg. Reg. Germ. c. 14. sect. 2. per tot.* dum *primo ad preces* confugiendum esse suadet, quas propterea Christianorum arma vocat Nazianzenus: *Secunda ad supplicationes*, quo medio Esther & Mardochæus a cervicibus Judæorum periculum averterunt, quod vi non ausi fuissent, vel etiam seditionibus remorari horruissent, *Esth. 3. Tertio ad fugam* qua Christiani sibi potius consulant, quam injustam vim contra Principem suscipiant, plurimorum piorum virorum, veluti *Moysis, Davidis, Eliæ, &c.* exemplo. Incidente itaque tali casu & urgentibus gravissimis regni fatis magna prudentia & moderatione opus, ne eo deveniatur, ut Rex vel Princeps legitime constitutus, unctus & coronatus, vi armisque a Proceribus solio dejiciatur, vel prorsus, quod grave dictu, interficiatur. Divino enim, Gentium, suoque quasi jure Reges inviolabiles & quodammodo sacrosancti censendi sunt, eorumque sanguis adeo sanctus æstimandus, ut eundem profundere nefas sit. *Reink. de R. S. & Eccles. lib. 1. class. 1. c. 5. n. 94. & seq.* Neque enim eiusmodi cædes & invasiones, etiam si aliquam quandoque iustitiæ speciem præ se tulerint, Deus impunitas reliquit. Tutissima ergo Taciti est sententia: *Bonos Principes optandos, qualescunque non aliter ac sterilitatem cæteraque natura mala tolerandos.*

VII.

Quare apposite admodum *Forstner. in Not. ad lib. 1. Ann. Tacit. pag. m. 39. Etiam magnum,* inquit, *contra percussores tyrannorum aut quorumcunque principum præjudicium est occultum Dei judicium. Miramur sæpe & cum horrore occulto intuemur Dei Optimi Maximi justitiam, principum, hoc est, vicariorum suorum injurias cædesque severissime vindicantem. Plenæ sunt omnes historiæ talium exemplorum, sed ego maxime eminentia adducam: Percussorum Cæsaris, neque triennio quispiam amplius supervixit, neque sua morte defunctus est: Damnati omnes, alius alio casu perierunt pars naufragio, pars prælio, nonnulli eodem pugione, quo Cæsarem violaverant, interfecti fuere &c.* Hactenus *Forstner.* qui plura exempla, præsertim de exercitu ingenti, qui deserto *Mauritio* ad *Phocam* tyrannum descivit, adeoque miserrimæ necis *Mauritii* causa fuit,

addu-

adducit. Totum hoc negotium multas adhuc habet difficultates, unde & *Boxborn. in Instit. Polit.* existimat, ubi ad summum iniquitatis gradum tyrannis Principum evecta, ac modestia patientia & supplicationibus nihil profectum est, tollere eos, aut ejicere, eorumque imperium exuere omnino licitum esse. Enimvero nemo ignorat, *Boxbornium* hæc atque alia studio Reipublicæ suæ scripsisse, unde quoque modestius nonnulli sentiunt, dum perpensis utrinque rationibus judicium suspendere malunt, quam certi quid determinare, quos inter *Dn. Forstn. d. l. p. m.* 39. Verum quia *Grot. de J. B. & P. l.* 1. *c.* 3. *per tot.* omnes difficultates enucleate superavit, non inique ejus vestigia legimus. Majoris declarationis gratia post *Georg. Frantz. de potest Princip. th.* 94. *& seq. apud Arum. de Jur. Publ. vol.* 4. *disc.* 42. nonnulli distinguendum esse ducunt malum Principem ab eversore Reipublicæ, ita, ut propter illius vitia subditis permissum non sit debitam observantiam deponere; exempli loco sistunt Davidem adulterum & innocentis Uriæ necem procurantem; hujus vero exitiosis consiliis omnino resistendum esse arbitrantur, cui sententiæ suffragari videtur *Grot. d. c.* 4. §. II. Cum tamen & populus rerum præsentium sæpius pertæsus spe melioris regiminis Regem suum, præter meritum utplurimum, satis promte pro hoste habeat, non obstante quod argumenta hanc in rem adducta Principem non tam hostem, quam pessime tantum imperantem ostendant, ideo nec hæc distinctio dubiis caret. *Add. Hennig. ad Grot. lib.* 1. *c.* 4. ubi in hac quæstione omni ævo tractata plura ad scopum nostrum facientia proponit.

VIII.

Exulibus per vim Superiorum ejectis æquiparantur illi, qui per *Ostracismum* expulsi sunt, teste siquidem *Aristot.* 3. *Polit. Ostracismus* apud civitates quasdam populi imperio gubernatas receptus est, quo tollebant e civitate & in exilium ad tempus certum ejiciebant eos, qui supereminebant, ob æqualitatem, quam amplectebantur, conservandam, & ad tollendam unius vel alterius ὑπεροχὴν, id est, excellentiam aut nimiam potentiam, quam affectare videbantur, vel propter divitias, vel amicos vel aliam aliquam potentiam civilem, & hoc genus relegationis apud Athenienses tam frequens fuit, ut quoad Atheniensium Rempublicam Ostracismum probet *Aristot. d. l.* propterea quod ille status viros magnos & virtute conspicuos non ferat, sive quod virtute sua imbecillitatem ex pro-

brent multitudini, sive quod opinione virtutis suæ rapiendi illam, quo voluerint, copiam habeant, sive quod non præsumantur iniquum populi dominium diutius perl turi, quam necessitas cogat, & donec occasio immutandi offeratur. *Arnis. de Republ. lib. 2. c. 7. sect. 2. n. 55.* Neutiquam igitur propter improbitatem, sed propter nimiam potentiam hoc exilium imponebatur, es war eine Verweisung auf eine Zeitlang derer, so gewaltig worden, unde quoque *à Cellar. l. 2. Pol. c. 20. §. 7. describitur, quod sit relegatio in certum locum ad certum tempus sine tamen infamia, saltem ut gratia imminuatur.* Sic Hermodorus Ephesius exulare jussus est, quod vir probus esset. *Cic. 5. Tusc.* Ei tamen postmodum Romæ statua posita fuit, quod autor fuisset legum à Græcis petendarum. *Pompon. in l. 2. §. postea ne diutius 4. ff. de Orig. Jur. Petr. Gregor. Tholos. in Synt. Jur. univ. lib. 31. c. 6. n. 6.* Autor ipsius perhibetur esse Clistenes, qui & ipse primus fuit, in quem hoc à tessula judicium est exercitum, juxta *Micrel. in Synt. Histor. Polit. lib. 1. sect. 3. quæst. 18. pag. m. 94.* Vocatur alias judicium testularum, i. e. calculorum. Unde *Corn. Nep. in Cimon. c. 3. testarum,* inquit, *suffragiis, quod illi* Ostracismum *vocant, decem annorum exilio mulctatus est.* An vero hoc exilium justum fuerit nec ne, intricata quæstio est, cui ut satisfaciant, multi respondent distinguendo inter *justum Ethice & Politice* consideratum, non quidem quoad statum Reipubl. rectum, bonumque, sed quoad vitiosum & corruptum, ita ut Ostracismus *in se & ratione justitiæ Ethicæ* non sit justus, neque etiam quoad Rempublicam rectam & perfectam; justus tamen *ratione finis & justitiæ Politicæ* in Republica corrupta. Verum exinde sufficienter constat, quod omnino rejiciendus sit.

IX.

Secundo ejiciuntur personæ privatæ utplurimum propter religionis diversitatem. Hinc locus nos invitat ad tractationem illius tantopere de religionum libertate exagitatæ quæstionis. Sed, (liceat uti verbis celeberrimi *Forstn. in Not. l. 2. Ann. Tac. p. m. 368.* in hac ipsa materia prolatis) *horreo profecto, me immittere tam vasto gurgiti.* Igitur, cum non omnino liqueat, paucis hoc ipsum monuisse sufficiat: Multos de libertate divini cultus ita differere, quasi illa cujusvis arbitrio penitus relinqui debeat, atque nullius imperio subjecta sit, quales sententiæ non tan-

tum nostri ævi perquam multis, sed & primævæ Ecclesiæ optimis Magistris exciderunt. Hinc & *Grot. de J. B. & P. lib.* 2. *c.* 20. §. 48. *n.* 1. neminem ad religionem Christianam cogendum esse asserit. Argumenta hujus assertionis refert celeberrimus nostri ævi Politicus **Dn. Conring.** *in Differt. de aut. & off. Majest. Civil. circa sacra th.* 23. & 24. Enimvero ut ut speciosa videantur, parum tamen in recessu habent; Humani enim esse arbitrii, unumquemque, quod sibi visum fuerit, colere, id profecto adversatur communi sententiæ omnium pene Rerumpublicarum. Omnes quippe circa cultum divinum nonnulla constituerunt, pœna in delinquentes adiecta, quod latius deducit **Dn. Conring.** *c. l.* Unde oppido patet, hominem circa cultum divinum legibus atque imperio uti debere. Cuinam vero talis potestas competat, adhuc controversum est, cum non desint, qui Christianæ Majestati id jus omne denegent; Nonnulli enim curam sacrorum uni & soli Pontifici Romano attribuunt, quasi vero totus Christianus orbis quoad cultum divinum ab illo unice dependeret. Alii non soli tribuunt Pontifici, sed & Episcopis, quam sententiam amplectuntur, qui Pontificem Romanum Episcoporum concilio aut subiiciunt, aut non nisi concilii caput agnoscunt, quales sunt in Gallia præcipue; quibus proxime accedunt ex Protestantibus illi, qui potestatem circa sacra Ecclesiæ Ministris aut Pastoribus attribuunt, quæ opinio primum Genevæ, Calvino & Beza autoribus, exorta, inde passim disseminata est, ut in Anglia Puritanismi præcipuam constituat partem. Verum hi omnes civili Maiestati multum derogant. Certo enim certius est, quod civili Maiestati per se illud competat, sine quo scopus Rerumpublicarum obtineri nequit: Jam vero impossibile est, ut vel vera felicitas civilis comparari vel integra servari possit citra ἀρχιτεκτονικὴν potestatem in religionis negotio & absque cultu divino. Unde necessario fluit, non posse non Maiestati civili per se & ex sua natura competere summam potestatem circa cultum sacrum, quantum illa ab homine exerceri potest, aut debet. Quomodo autem hoc ipsum contingat, eleganter per tres hypotheses deducit **Dn. Conring.** *d. tract. th.* 15. 16. & 17.

X.

Neque hæc ipsa cura religionis, ex ipso Jure Naturæ proficiscens, solum modo quoad religionem naturalem, de qua **Dn. Conring.** *d. tract. thes.* 11. & *seq.* Magistratus officio incumbit, sed & quoad Christianam.

Cum

Cùm enim hæc posterior auxilia largiatur Spiritus Sancti, quibus quis adjutus recte vitam instituere potest, atque nihil virtutis, nihil pietatis naturalis sit, quod non sanctissime exigat, ideoque omnes curæ in eo defixæ esse debent, ut in Republica locum inveniat. Sed quomodo a Maiestate civili curari debeat, id plenum difficultatis opus est, num eodem modo, ut naturalis, (hanc enim imperari posse civibus *Dn. Conring. laud. tract. th.* 68. & 69. solide demonstrat,) an vero alio. Multi existimant, per vim cogere licere subditos, si detrectent fidem illam amplecti. Alii neminem invitum adigendum, incredulos tamen ex civium numero expellendos esse putant. Alii vero neutrum concedunt, Maiestatis tamen officium esse asserunt, ut bona institutione & doctrina negotium fidei quam fidelissime promoveat, quæ sententia & æquitati & veritati conformior esse videtur. Dantur enim modi liciti, cives ad Christum perducendi, iique triplicis sunt generis iuxta *Dn. Conring. d. tract. th.* 106. Quoniam tamen per remedia licita illud non semper à Maiestate civili obtineri potest, ut vera religio in tota civitate unice obtineat, prævalentibus vel avitis erroribus vel etiam multitudine errantium, dissidentes mitius tractandi sunt. Nec aliter adversus paganos, quorum tamen religio tota impietate & superstitione inquinata fuit, primi Christiani Cæsares egerunt. Namque Constantino satis fuit, templa eorum claudere, nec iuniores Imperatores ulterius progressos esse liquet *ex tot. tit. C. de pagan. ejusque l.* 6. qua diserte pagani quiete viventes, prætextu religionis, iniuria affici prohibentur.

XI.

Quæ iam de propagatione fidei Christianæ dicta sunt, ad eiusdem dissidium tollendum convenienti modo applicari possunt. Competit quidem æque Magistratui hoc, ut pro virili det operam, ne quæ sint inter Christianos cives de fide dissidentes sententiæ. Quemadmodum enim alias, ita quoque circa fidei negotium concordia nihil est felicius, suavius nihil; quare mediis ante laudatis hac in re Superior uti poterit. Quod si vero nec hoc modo schismata & hæreses prohiberi possint, quid tunc Maiestati liceat, valde dubium reddidere variæ sententiæ, quarum ab omni parte hodie haud exigua est autoritas. Et quidem quod Maiestati civili conveniat, non permittere, ut seditiose ac turbulente veritas oppugnetur, certum est, perinde ut illud, quod Superior operam dare debeat, ut hæretici aut errantes, quotquot fuerint, sedula ac pia doctrina in viam reducantur. Num

vero vi quadam uti liceat adversus hæreticos aut schismaticos, prout nonnulli statuunt, ac ex *p. I. huj. Differt. th.* 17. & 18. patet, valde dubium est. Negativam non absque ratione propugnat. *Dn. Coring. d. tract. thes.* 17. Quod si enim diversis iam sectis repleta sit Respubl. vel Proceres Regni in Religione dissidentes de potestate participent, aut Superior per leges Imperii fundamentales se ad diversarum Religionum tolerantiam obstrinxerit, tolerandi potius sunt dissidentes, quam iugulandi aut eiiciendi, modo privatim solummodo errent, cæteroquin vero neminem turbent, nec errores suos spargant, Magistratui obtemperent, oneraque civilia æque ac alii non inviti subeant. Alias enim licite expelli possunt, per tradita *part. prior. huj. Differt. thes.* 17. Cavendum quoque ne tolerentur apertæ blasphemiæ in SS. Trinitatem. Autonomia enim religionis non hoc inducit, quod promiscue variæ sectæ tolerandæ sint, aut quis id, quod vano spiritu concepit, vel quod in Libertinismum aut Samaritanismum abit (qui ex Religionis pietate larvam facit) publice profiteatur, sed hoc tantum, quod exigente necessitate plures in Republica tolerari possint religiones, dummodo vera non impediatur, *Dn. Fritsch. in Mat. Jur. Publ. sub voc. Autonomia relig.* Et hæc quidem obtinent in civibus, h. e. in iis, qui ius civitatis iam acquisitum habent, inde tamen non sequitur, parem esse rationem omnium, etiam peregrinorum. Quum enim illi levioribus quoque de causis arceri civitate possint, nihil fortassis injuriæ habebit, si hæretici non admittantur, præcipue quando ab iis multum mali etsi non civilis, spiritualis tamen immineat. Alia sane est conditio eorum, qui errant quidem, sed ita tamen ut hæreticorum homine haud veniant. Hæc in thesi sufficiant. In hypothesi vero, quoad nostrum Imperium, communi hactenus universaliter recepta praxi ius religionis & reformandi Imperii Ordinibus immediatis, iure Superioritatis territorialis, ita competit, ut *ejus dicatur religio, cujus est regio*, sicque quilibet Status & Dominus territorii ius reformandi habet quoad subditos suos, sive isti sint Comites, Barones, Nobiles, Vasalli, Civitates, Communitates, Monasteria, Commendæ, sive alii privati, iuxta *Instr. Pac. art.* 5. §. 29. Est tamen hæc reformandi potestas quandoque *pactis atque reversalibus* Superiorum regimen suscipientium limitata, *Vid. Instrum. Pac. art.* 5. §. *Pacta autem* 33. *it. art.* 7. *vers. salvis semper Statuum &c.* his vero deficientibus (1) ad *verbum divinum*, ita ut Superiores in iudicando

do & statuendo de religione sanis Theologorum Consiliis utantur, *Carpz. lib. 1. Jurispr. Consist. d. 5.* (2) per *terminum anni* 1624. (3) per *emigrandi beneficium*, unde postmodum hoc nostrum profluit exilium restricta. Denique his nostris exulibus ferme æquiparantur illi, qui per belli calamitates à prædiis & possessionibus dejiciuntur, & ad evitandam militum sævitiam alio se convertunt, quorum ingens copia non in superiori tantum bello, quod universam Germaniam inundavit, extitit, sed & hodierno, quo eheu! nimium quantum atterimur, sese nobis offert.

XII.

Subjecto hujus exilii considerato, varia jura circa exules occurrentia perlustrabimus. Illa vero sunt vel *communia* vel *specialia* exulum ex hac vel illa, præcipue vero religionis causa. *Communia* iterum descendunt vel ex Jure Naturæ, vel ex Jure Civili, atque sequentia ferme sunt, (1) quod sponte discedentes impediri nequeant, ut ex *th. 2. huj. part. poster.* sufficienter patet. Ut ut vero hæc libera emigratio propterea restringenda esse videatur, quod præter concives etiam Majestati sit obligatus civis, cui se & sua semel subjecit bona, adeo, ut libere invita parte discedere nequeat, cum pacta etiam Jure Naturæ sint servanda; Attamen hoc dubium jam in antecedentibus fusius resolutum est. Quare firmo stat talo nostra sententia quod libertas renunciandi subdito adimenda non sit, quamvis invito Superiore suscipiatur *l. 31. ff. ad mun.* modo tempestivè fiat, quia receptio in civitatem est beneficium, quod quis invitus nec acquirit, nec retinet, *l. 69. ff. de R. J. l. hoc jure 19. §. non potest. 2. ff. de donat.* Eleganter hoc illustrat *Cic. in orat. pro Corn. Balb. firmissima libertatis fundamenta*, dicens: *sui quemque juris & retinendi & dimittendi Dominum esse*, præclaraque ac divinitus comparata jura asserens, ne quis invitus civitate privetur, neque in civitate maneat invitus. Et hæc opinio multorum quoque JCtorum calculo approbata est, *vid. Ernest. Cothmann. Respons. Academ. 10 n. 4. Arum. disc. 6. ad A. B. th. 12. Observ. 36. n. 4. Rumel. ad A. B. p. 2. Dissert. 5. q. 5.*

XIII.

Sed hic liber discessus non nisi præstitis præstandis fieri debet, unde in locis, ubi gabella, vulgo Nachsteuer oder Abschoß recepta est, nec exules ex causa miserabili ab ejus præstatione immunes sunt. Tenentur enim

 omnes

omnes omnino homines præter exceptos, quos inter tamen exules non recensentur, si bona alio transferant, sive sint Nobiles, sive plebeii, gabellam solvere, dummodo generali consuetudine Provinciæ jus detractionis introductum sit. *Berlich. p. 3. conclus. pract. 52. n. 22.* Et quidem de sponte emigrantibus nullum forsitan est dubium. Utrum vero necessitate coacti bona sua distrahentes, vel præter culpam in exilium ejecti, tributum migrationis solvere teneantur, nec ne, altioris momenti controversia est? Multi iique non infimi subsellii Dd. id negant, ex ratione, quod jus detractionis instar laudemii sese habeat, sicut vero is, qui vi vel necessitate ad venditionem cogitur, laudemium solvere non tenetur, *Jason. ad l. ult. C. de jur. emphyt. n. 48. Berlich. p. 3. concl. 52. n. 13.* Ita quoque vi ejectum ad solvendum gabellam neutiquam obstrictum esse putant. Unde quoque Magistratum à subditis, quos ob religionem è ditione ejecit, ac bona sua vendere vel alio transferre coegit, hoc migrationis tributum exigere non posse, asserit *Berlich. d. l.* & ita de subditis, religionis causa invite emigrantibus decisum esse in Camera Imperiali refert *Reickwein in form. alleg. a Rumelin. d. l. q. 6.* Contrarium vero asserit, *Besold. in Thes. Pract. voc. Abzug,* autoritate *Recess. Imp. de ann.* 1555. §. Wo aber unsere 24. in verb. gegen ziemlichen willigen Abtrag der Nachsteuer, wie es eines jeden Orts von alters her üblich herbracht und gehalten worden, &c. Accedit *Instrum. Pac. art. 5. §. conventum* 36. ex quo patet, quod subditi, sive voluntarie, sive coacte emigrantes, injustis decimationibus non onerari debeant; ergo justis poterunt, sicubi moris sit, propter discessum & emigrationem aliquid pendere, & ita in praxi observari, testis est *Myler. de Princip. & Stat. Imp. c. 63.* Confirmat hæc omnia *Ernest. Cothman. cit. Respons. Acad.* 19. in verbis: *Hæc decimatio non eo solo casu, quo aliquis pietatis & conscientiæ causa ac religionis veræ amore emigrandi beneficio flebili & lamentabili utitur, & relictis possessionibus & cognatis velut in exilium discedit d. §.* Wo aber unsere, *sed & aliis casibus, quibus aliquis sponte domicilium mutat, solvenda est. Add. Gail. lib. 2. Observ. 35. n. 9. it. Observ. 36. n. 10. ibique Grev. Consid. 2. n. 2. & 3.* Quod si tamen propter religionem emigrantes retentis bonis locum mutent, copia ipsis est, per ministros ea administrare & quoties ratio id postulat, ad res suas inspiciendas aut perse-

quen-

quendas lites vel debita exigenda libere & sine commeatus literis adire. *Instrum. Pac. d. art. §. Quod si vero subditus* 35. Illi denique qui ex necessitate, in quam ipsi se conjecerunt, puta ob delictum, è civitate migrare coguntur, ad gabellæ solutionem extra omne dubium adstricti sunt. *arg. l. interdum* 36. *in fin. ff. de judic. l. si fidejussor.* 7. §. 1. *ff. qui satisd. cog. Rumelin. ad A. B. d. l. q.* 6.

XIV.

Porro Exulibus migraturis transitus per territorium denegari nequit. Quamvis enim constet, quod territorii domini prohibere possint, ne quis exterus illuc transeat, vel non aliter transeat, nisi certa lege certoque onere, cum viæ publicæ sint pars territorii, ut Superioribus jus de viis disponendi competat; illud tamen non indistincte exercendum est, sed tum demum, si justus metus à transeuntibus inferatur, quod de magnorum exercituum transitu dicendum est. Equidem *Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 2. §.* 13. nec hoc in casu transitum denegandum esse asserit; quia tamen communis viæ usus & libertas transeundi, præsertim concurrente metu, ita temperari debet, ut Reipubl. causa potior habeatur, *Zigler. ad Grot.* d. l. ideoque transitio exercitus non aliter, nisi certis temperamentis admittenda erit, v. g. si justa postulandi transitus sit causa, ac transitus significetur & præterea absque dolo petatur eo in loco, ubi proxime & commodissime fieri potest; Denique ut modus transitioni adjiciatur, qui in eo consistit, ut securus & à metu suppressionis vacuus sit is, per cujus territorium transitur, ac indemnis servetur à rapinis, concussionibus ac incendiis, quæ duæ cautiones tum ipsum Superiorem ejusque statum, tum etiam subditos eorumque bona concernunt, atque tunc expeditius obtinentur, si non totus exercitus, sed turmatim transmittatur; ut passim Dd. tradunt. *Add. Pufend. de Jur. Nat. lib.* 3. *c.* 3. §. 5. *Hennig. ad Grot. d.* §. 13. Quod si vero de transitu privatorum loquamur, talis metus non subest. Unde si pauci & inermes transire suoque sumtu victitare velint, quin transitus ipsis concedi debeat, nullum est dubium, præcipue si ob honestam aut necessariam causam eo velint uti, ad quam imprimis spectat, si finibus suis expulsi & in exilium ejecti alias sedes quærant. Hinc ne quidem exulibus ex vituperabili causa, quamdiu inter innoxiam utilitatem permanent, ob communem hominum inter se obligationem, transitus denegandus est. *Vid. Pufend. d. l. & in Elem. Jurispr. lib.* 1. *def.* 5. §. 6.

XV.

Præter transitum Exulibus quoque ab aliis territorii Dominis habitatio optimo iure concedi potest. Quod si enim subditos singulos ex altera ditione in alteram migrantes suscipere non est contra amicitiam, teste *Grot. 3. c. 20. §. 41.* multo minus exulibus perfugium denegandum est, *Hennig. ad Grot. d. l.* id quidem negat, imo amicitiæ repugnare dicit, si contra voluntatem Principis emigrantes ab alio, quo cum amicitiæ pax est, recipiantur, propterea quod non sit liberi Subditorum arbitrii, de civitate migrare. Verum quia præsuppositum illud, iuxta ea quæ *in th. 2.* huius partis habentur, extra casum, ubi dolose fit renunciatio, vel singularis Reipubl. ratio illam prohibet, non procedit, ideoque asserto nostro parum contrariatur, neque aliud evincit, quam quod magnos cœtus, qui civitatis integrantem partem faciunt, recipere non liceat. *Vid. Grot. d. l.* Certum proinde erit, exulibus propter causam miserabilem patria sua pulsis domicilium & ius civitatis in alterius Status territorio merito concedendum esse, propterea, quod in casu contrario tales exules imperiali banno notatis, quibus nullibi certum domicilium habere licet, non absimiles essent, ac pœnam absque culpa, contra jura manifesta paterentur, quippe quæ neminem sine delicto gravant. Hinc & subditus, propter religionem in Imperio permissam solum & domicilium mutans, in alterius Status Imperii, qui eidem religioni addictus est, territorio domicilium ac jus civitatis optime petere potest, idque, præter causam jam adductam, Christiana Charitas efflagitat, cum qui sunt ejusdem confessionis, confraternitatem quasi inter se habeant, ac conceives in Christo existant, quos ex civitate salva conscientia vix ullus excludere poterit. *Vid. Rumelin. ad A. B. p. 5. dissert. 2. q. ult. ibique Myser. in addit. Cran. de Pac. relig. p. 3. probl. 17.* Elegans hujus rei exemplum nostro seculo Christianis Principibus reliquit Gustavus Adolphus gloriosæ memoriæ, Suecorum Rex, qui multos domo profugos & religionis causa ex variis regionibus discedentes publico Edicto Regni sui sedes vacuas occupare jussit. *Godofr. Schulz. Chron. ad an. 1627.* Idem asserendum erit de Electore Saxoniæ Joh. Georg. I. piissimæ recordationis, qui exulibus propter Evangelium ejectis integra loca, inter quæ eminet **die Johann Georgen Stadt**, assignavit.

XVI.

Præterea exules miserabiles utuntur beneficio *leg. un. C. quand. Imper.*

Imper. inter pupill. vid. & alias miserab. pers. &c. qua saluberrima constitutione Constantinus pupillis, viduis aliisque fortunæ injuria miserabilibus personis duplex privilegium indulsit: *Alterum*, quod ne quidem ex rescripto Principis cogantur extra provinciam comparere, quo pertinent illa inscriptionis verba: *ne exhibeantur*; ratio est, ne sumtibus vexentur & periculis, quæ itinera comitari solent, exponantur; *Alterum*, quod e diverso non modo ordinarium suum Judicem possint declinare, sed & adversarii causam per supplicationem à Judice competente ad Principis tribunal evocare, ita ut ille excipere non valeat de incompetentia fori, nec opponere beneficium primæ instantiæ. *Accurs. & Dd. in d. l. un. Marant. in spec. aur. p. 4 dist. 9. n. 194. Andr. Gail. l. 1. obs. 1. n. 40. ibique Grav. Consid. 1. n. 2. Herm. Vult. in d. l. unic.* Habet autem hoc privilegium eo præsertim casu locum, quo ipsis res est cum potentiore adversario, quem metuunt, & adversus quem facile jus suum coram judicibus inferioribus obtinere nequeunt. *Perez. ad d. t. n. 2.* Dixi *præsertim*, qua vocabula *Imper. in d. l. un.* innuere videtur, istas personas hoc beneficio uti posse, sive oppressionem sui metuans, sive non; hæc enim vocusa includit etiam casum oppositum, ita ut sufficiat, eos opprimi posse. *Herm. Vult. in d. l. un. Carpz. lib. 2. Resp. Jur. Elect. 19. n. 3.* Concessum autem est hoc privilegium triplici personarum ordini: *Pupillis* nimirum, *Viduis* & aliis *miserabilibus personis*. De *pupillis* quidem res est expedita, cum Constantinus generaliter loquendo eos etiam comprehendat, qui defensores vel tutores habent, contra explicationem *Paul. de Castr. in rubr. d. t.* quæ tum ex verborum generalitate, tum etiam ex eo refellitur, quod pupillus semper habeat tutorem, qui ipsum defendat, nec unquam in judicio sine eo stare possit. Pupillis subnectit Imperator *Viduas*, quarum appellatione *Virgines*, quoque comprehendi, iisque privilegium hoc æque concessum esse contendit. *Azo in summ. C. qn. Imp. int. pupill. n. 5. &c.* pro qua sententia etiam facit textus *in l. malum 242. §. viduam. 3. ff. de V. S.* ubi JCtus Javolenus ex sententia Labeonis dicit, non eam solun modo esse viduam, quæ aliquando nupta fuisset, sed eam quoque mulierem, quæ virum non habuisset quæ est virgo. Videtur quidem Constantinum solis viduis proprie sic dictis, h. e. marito orbatis, privilegium hoc dedisse & sic sacris literis se con-

 for-

formare voluisse, in quibus viduæ & orphani Principum curæ toties tamq; solicite commendantur & imprimis, ne à potentioribus contra jus opprimantur; quemadmodum vero Sacer Codex orphanos parentibus orbos, ita viduas orbas maritis intelligit, utpote quæ injuriæ hominum præ cæteris subjacent. *Herm. Vult. in d. l. un. Felin. in cap. significantibus n.* 8. *de offic. jud. deleg. Gail. l.* 1. *obs.* 1. *n.* 43. Unde quoque verisimile esse videtur, *in d. l. malum* 242. *de V. S.* ex interpretatione magis, seu notatione nominis, quam ex sermonis proprietate virginem dici viduam, id quod ipse JCtus Javolenus non obscure innuere censetur. *Carpz. supr. alleg. loc. n.* 8. *& seq.* Aliter tamen sentit *Perez. ad C. tit. qn. Imp. inter pupill. n.* 3. privilegium hoc ex arbitrio Judicis virgini, tanquam miserabili personæ, tribui posse asserens, quem etiam sequitur *Brunnem. ad d. l. un. Guid. Pap. dec.* 566. *n.* 2. *Grav. cit. loc. n.* 11. Et recte quidem, si modo parentibus orbata sit, etsi pubes, major vel dives fuerit; quia & hic ratio locum habet, quæ in consilii inopia, imbecillitate sexus, & mariti, à quo defendantur, sive privatione, sive carentia consistit. *Trentacinq. lib.* 2. *pract. resolut. tit. de Cit. resol.* 2. *n.* 16. *Vincent. de Francb. decis.* 100. *& Hillig. ad Donell. lib.* 17. *c.* 20. Denique & *miserabilibus personis* aliis hoc privilegium competit ex *rubr. tit. quand. Imp. inter pupill. &c.* Vocat autem Imperator Constantinus miserabiles personas eas, quæ ob fortunæ injuriam commiseratione dignæ sunt, *d. l. un.* Quod cum infinitis modis fieri possit, plerisque placuit, miserabilem statum probari ex qualitate personæ, id quod Judicis arbitrio relinquendum, ut censet *Bart. in d. l. un.* Hoc tamen non impedit, quo minus principaliores, qui hoc nomine post viduas & pupillos veniunt, determinari queant. Sunt vero tales: Furiosi, cœci, muti, surdi, leprosi, aliove laborantes morbo, qui hominem ad negotium quodcunque gerendum inhabilem reddit, *l. morbus* 113. *ff. de V. S. l.* 2. §. *si quis judicio ff. si quis caut. l. quæsitum* 60. *ff. de judic.* item peregrini, advenæ, publice pœnitentes, infantes expositi &c. Quibus nos addimus exules ex causa miserabili, quamdiu in exilio commorantur, tum quod non minus ac alii commiseratione digni sint, tum ob generalia Imperatoris verba *in d. l. un.* ibi: aliique *fortunæ injuria miserabiles. Add. Azo in summ. d. l. n.* 6. *Masc. de prob. vol.* 3. *conclus.* 106. *n.* 5. 6. *Menoch. l.* 2. *Arbitr.*

jud.

jud. quæst. c. 66. *n.* 13. *& seq. & Trentacinq. d. Resol.* 2. *n.* 25 *& seq.* ubi miserabiles personas latius recensent.

XVII.

Præter adducta beneficia, nostris exulibus hoc quoque solaminis loco cedit, quod illis non sit denegandum ministerium verbi divini, nec sacramentorum usus in Ecclesiis nostris, ad quas confugiunt, modo nobis in fide sint conformes; omnes enim sumus membra unius mystici corporis, ergo nobis invicem alimenta denegare non debemus. *Balduin. lib.* 4. *de cas. consc. c.* 9. *cas.* 5. Hinc ne quidem exules ex causa vituperabili tempore exilii in loco, ubi commorantur, sacra cœna privandi sunt, modo fidei sint conformes, seriamque agant pœnitentiam, arg. eorum, quæ proponit *Dn. Carpz. l.* 2. *Jurispr. Consist. def.* 279. *&* 291. Quapropter, cum sub persecutione Hunerici Eugenio Episcopo mandato Regis injunctum esset, ut non tantum ipse a publico docendi munere abstineret, sed & cujuscunque sexus homines. Vandalico habitu indutos, e templo expelleret, pius ille Vir apposite respondit: *Domus Dei omnibus patet, quis ingredi volentes inde exiget*, ut ex *Aut. Cent. Magdeb.* refert *Balduinus l.* 4. *cas. consc. d. c.* 9. *&c.* Ex hac vero sacramenti perceptione patet, quod idem de sepultura, aliisve negotiis ecclesiasticis, quæ dilationem nullam patiuntur, dicendum sit. Si quis enim diutius in aliqua Parochia, licet ibi non constituerit domicilium, versetur, ea cumprimis, quæ usque ad reditum in propriam Parochiam differri nequeunt, ibidem peragenda sunt. *Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Ex.* 9. *th.* 39.

XVIII.

Denique hisce nostris Exulibus omnia illa concedenda sunt jura atque beneficia, quæ miserabilibus personis aliis competunt & passim recensentur. *vid. Card. Tusch. tom.* 5. *pract. concl. lit. M. concl.* 274. ibiq; *alleg. Rebuff. in tract. de sent. provis. Menoch. lib.* 2. *A. J. Q. cent.* I. *cas.* 66. *Manz. spec. sub miserab. Person.* Quod si enim Christianæ & naturali pietati conveniens est, subvenire his, qui miseria quadam ætatis, sexus vel infirmitatis oppressi sunt, multo magis illis auxiliandum est, qui injuria superioris vel etiam propter dissensum in religione ita opprimuntur, ut patrios lares & avitas domus linquere cogantur, quod triste sane & lugubre est. Hanc ob causam inter miserables personas expresse referuntur *à Pruckmann. & Mev. ad Jus Lubec. lib.* 1. *t.* 2. *art.* 2. *n.* 22. quorum

rum necessitati succurrendum potius est, quam ut ex calamitate eorum compendia quærantur, *l. 1. C. de naufr.* Si vero diutius in Provincia quadam subsistant, vel civitatis jus impetrare, vel etiam opem pro communi securitate præstare debent. Moderna namque Germaniæ consuetodo, post annum vel aliud quoddam definitum tempus, quo quis in civitate proprio foco usus est ac substitit, hospitii jus terminari & civem seu incolam fieri introduxit. *Gail. l. 2. obs. 35. n. 8.* Periculum quoque quod ex multitudine peregrinorum & advenarum civitati imminet, permittit, imo jubet, advenas cogere, ut si hospitii jure frui velint, nomina sua Magistratui profiteantur, fidemque, obsequium ut & opem pro communi securitate promittant, ac certam pecuniam, quam germ. das Schußgeld vocamus, solvant. *Vid. Mev. ad Jus Lub. lib. 1. t. 2. art. 2. n. 30.* Imo si domicilium constituant atque bona catastro inscripta possidere incipiant, oneribus consuetis atque juribus loci se subtrahere neutiquam poterunt, *l. 2. c. de mun. patrim. Gail. lib. 2. obs. 5. & seq. ibique Grav. in Conclus. n. 11. Anton. Gabriel lib. 6. Comm. conclus. tit. de Jur. immun. concl. 2. Guid. Pap. dec. 7. per tot.*

XIX.

Atque hæc quidem *jura exulum* miserabilium *communia* sunt. *Singularia* vero exulum ob causam religionis patent ex Instrumento Pacis, inter quæ eminet, quod illi, qui nulla A. 1624. parte publicum vel privatum religionis exercitium habuerunt, à Domino territorii ad emigrationem cogi possint. Illud namque vulgatum axioma, cujus est *Regio*, ejus *quoque Religio, juxta Instrum. Pac.* determinationem ita intelligi debet, ut subditi, cujuscunque generis sint, si diversæ religionis à Domino sive publicum sive privatum exercitium anno 1624 habuerint, illud etiam imposterum cum annexis juribus retineant, aut turbati in possessionem restituantur. *Instr. Pac. art. 5. §. Hoc tamen 30. & seq.* Neque ita stricte dies primus Januar. observatur, sed sufficit, subditos etiam aliqua dicti anni parte religionis diversæ exercitium à Domino habuisse. *Instr. Pac. d. art. 5. §. 30. & 33.* Unde constat. si modo ultimo die cit. anni diversam exercuerint religionem, illos in exercitio eique annexis juribus minime turbandos, aut perturbatos restituendos esse. Quod si vero dict. anno nec publicum nec privatum religionis exercitium habuerint, præter preces, si iisdem tolerantiam impetrare nequeant, nil nisi flebile exilii beneficium habent.

XX.

XX.

An vero hoc beneficium emigrationis *voluntatis*, an *necessitatis* sit, plus vice simplici disputatum est? Posterius asseruerunt Scriptores Catholici, quorum antesignani sunt autor Avtonomiæ *p. 1. c. 8.* & qui in ejus verba jurarunt, Dilligenses. Prius tamen cum Nostratibus communis Doctorum Schola affirmavit. *Vid. Gylm. Sympher. 1. p. 1. tit. de relig. post vot. 12. in Consult. n. 31. p. m. 263. vot. 3. Limn. de Jur. Publ. l. 1. c. 13. n. 61. & seq. Myler. in addit. ad Rumelin. in A. B. p. 3. dissert. 2. q. 7.* ubi plures hanc in rem allegat Autores, quorum sententiæ suffragatur *R. J. de an.* 1555. §. Wo aber unserer 24. in verb. an andere Orte ziehen und sich nieder thun wollen, quæ verba liberam important voluntatem. Accedit, quod juxta *Instr. Pac. art. 5. §. placuit.* 33. subditi, qui anno 1624. nec publicum nec privatum religionis exercitium habuerunt, tolerari debeant, ut conscientia libera domi devotioni suæ vacare, & in vicinia publico religionis exercitio, quoties voluerint, interesse queant. Verum quamvis hæc ponderosa satis videantur, hodie tamen vigore *Instr. Pac.* emigratio necessaria facta est, sicque Recessum Imperii, ex quo voluntaria emigratio evinci potest, *Instrum. Pac.* tanquam lex posterior determinat, ut quandoque emigrationem necessariam admittat, juxta *art. 5. §. quod si vero 35. in verb. jussus fuerit. &c.* Nec obstat ejusd. *Instrum. Pac. art. 5. præcedens §. placuit* 33. quia juxta *Blum. in Proc. Camer. tit. 28. n. 44.* intelligi debet, non quasi Dominus territorialis nullo modo subditis, propter diversitatem religionis, emigrationem injungere possit, sed quod illi, quamdiu in territorio permanent, sive migratio nulla mandata fuerit, sive mandata quidem, sed terminus legis nondum effluxerit, patienter sint ferendi, nec inquisitionibus, turbationibus aut similibus conscientiarum laqueis, v. g. compulsione violenta ad religionem diversam amplectandam, constringendi. Add. eminentissimi Regiminis Altenburgensis Præses ac JCtus incomparabilis *Dn. Thom. in Coll. manuscr. ad Lampad. de Republ. Roman. Germ. p. 3. c. 11. ad §. 19.* Subditis, inquiens, qui ante annum 1624. religionem mutarunt, verba d. art. eignes Beliebens videntur liberum arbitrium relinquere (sc. emigrandi) sequentia autem: oder von &c. befehlicht werden iterum denegant: Nihil tamen (pergit ibidem) certi definiendum, cum ad proxima Comitia horum explicatio pertineat.

XXI.

Neque tamen statim in Religione dissidentes ejiciendi sunt, quin potius terminus certus ad compositionem rei familiaris ipsis indulgendus est, quem ita determinavit *Instrum. Pac. cit. art.* 5. §. *conventum* 36. ut iis, qui dicto anno 1624. neque publicum neque privatum exercitium habuerunt, & tamen tempore Pacificationis in unius vel alterius Religionis Statuum immediatorum ditionibus habitare deprehenduntur, terminus non minor quinquennio, illis vero, qui post pacem publicatam religionem mutant, non minor triennio, nisi tempus magis laxum & spatiosum impetrare potuerint, ad emigrandum præfigatur. Sicque emigrantibus permissum est, utrum bona sua distrahere, an iis retentis, ea per ministros administrare velint, quo casu libere & sine commeatus literis locum pristinæ habitationis, quoties ratio id postulat, ad res suas inspiciendas aut persequendas lites vel debita exigenda adire possunt. *Instrum. Pac. art.* 5. §. *quod si vero subditus* 35. Si bona sua vendiderint, quomodo & quatenus ad gabellæ præstationem teneantur, ex antecedentibus patet. Præterea ita emigrantibus neque nativitatis, manumissionis, noti opificii ac honestæ vitæ testimonia denegari, neque etiam iidem reversalibus inusitatis vel decimationibus plus æque extensis prægravari debent. Sed de adscriptitiis non incommode adhuc quæritur: utrum beneficium emigrationis ad eosdem, auf die Leibeigne, extendatur? Dilligenses, conscientiarum carnificinam magis magisque promoturi, hoc denegant iis, qui juxta regionis consuetudinem à gleba & territorio Domini recedere non possunt. Affirmativa tamen sententia non tantum *ex sæpius citato Rec. Imper. de an.* 1555. §. Wo aber unsere 24. sed & præcipue ex *Instr. Pac. dict. art.* 4. §. *conventum* 36. ejusque verbis: *Multo minus spontaneam suscipientibus emigrationem, servitutis, aut ullo alio prætextu, impedimentum inferatur,* patet. Unde sua sponte fluit, quod beneficium emigrandi ad hos quoque porrigatur, quos Dominus, soluto prius manumissionis pretio, manumittere tenetur. *Besold. in Thesaur. Pract. sub voc.* Leibeigen. *Rumelin. ad A. B. p. 3. dissert. 2. q. 7. ibique Myler. in not.*

XXII.

Enarrata beneficia non omnibus ex religionis causa exulibus, sed iis tantum competunt, qui & religioni Pontificiæ & Augustanæ Confessioni

ni

ni addicti sunt. Sub Pace namque religiosa & Osnabrugensi Pacificatione illi solummodo continentur, cæteris sectis adhærentibus exclusis per *Rec. Imp. de an.* 1555. § doch sollen 17. Annumerantur autem hodie iis, qui Augustanæ Confessioni nomen dederunt, & illi, qui Reformatam Religionem profitentur, ita quidem, ut quicquid juris aut beneficii tum Pax Religiosa, tum Imperii Constitutiones vel Catholicis vel Evangelicis tribuerunt, id etiam Reformatis competat. Quamvis enim Reformati nec sub Augustana Confessione, nec sub Protestantibus, nec etiam sub Pace Religiosa comprehensi fuerint, hodie tamen vi Pacis Monasteriensis, ejusque art. 7. Pax quoque Religiosa adeos extensa est, ita, ut juxta *Horn. in Orb. Polit. sub rubr. de Imper. Roman. Germ. axiom.* 17. §. 2. inter Protestantes & Reformatos nullum politicum supersit discrimen, salvis tamen Statuum Protestantium inter se & cum subditis suis initis pactis, reversalibus, privilegiis, aliisque dispositionibus, quibus de religione aut ejus exercitio cujuslibet loci Statibus ac subditis huc usque provisum, salvoque moderamine quoad Jus reformandi, *in d. art.* 7. *Pacif. Osnabr.* proposito. Extra has religiones juxta dispositionem *de art.* 7. *sub fin.* Sacrum Romano-Germanicum Imperium nullam aliam tolerat religionem, quare reliqui sectarii pro lubitu vel tolerari, si privatim solummodo errent, vel etiam, si dogmata sua pertinaciter retineant aliosve doceant, exilio plecti possunt, ut latius tradit *Dn. Carpz. p.* 1. *Prax. Crim. q.* 44. *n.* 30. *& seq.* Si jam hoc modo ejiciantur, inter exules ex causa vituperabili ejectos numerantur, deque eorum Juribus participant.

XXIII.

Illis denique, qui per bellicas calamitates à prædiis & possessionibus dejiciuntur, solaminis loco hoc cedit, quod si ad vicinam urbem confugiant, nihil pro rebus convasatis vectigalis nomine solvere teneantur, etiamsi publicani amplissimam exigendi facultatem prætendant, *arg. l.* 15 *ff. de publ. & vectig. Mev. ad Jus Lubec. l.* 1. *t.* 2. *art.* 2. *n.* 25. Nec etiam contributionibus atque collectis subjacent, *Gail. l.* 2. *observ.* 52. *n.* 15. *ibique Grav. in Concl. n.* 14. *Rosenthal. de feud. c.* 5. *concl.* 8 *n.* 2. Quin potius, si ob calamitates bellicas evitandas, non tamen animo transferendi domicilium, ad locum quendam confugerint, facta pace in patriam ut redire queant, certum terminum impetrare possunt, cujus rei gratia in *Instr. Pac. art.* 5. §. *conventum*, 36. quinquennium præfinitum

tum

tum est. Denique hoc paratum habent præsidium, ut bello composito pristina bona recuperent, idque jure postliminii, quod in prioris status omniumque jurium ac rerum receptione consistit; adhibita tamen distinctione inter res mobiles & immobiles. De rebus mobilibus tenenda regula, eas postliminio non redire, sed in præda esse *l. 28. ff. de capt. & postlim. revers. ibique Dn. Brunnem.* Excipiebantur olim naves longæ atque onerariæ, propter belli usum, non voluptatis causa paratæ, item equi freni patientes, *l. 2. pr. & §. 1. ff. eod.* quod ideo placuisse gentibus videtur, ut recuperandi spes ad ea comparanda alacriores redderet homines; arma vero & vestes non restituebantur, *d. l. 2. §. 2. & l. 3. eod.* non quidem quod nullum in bello haberent usum, sed quia minime favorabiles erant, qui in bello arma aut vestem amiserunt, immo id flagitii loco habebatur, ut passim ex historiis apparet, sed hæc differentia quoad res mobiles posterioribus temporibus sublata est, teste *Grot. de J. B. & P. lib. 3. c. 9. n. 15. & Hahn. ad Wesenb. de capt. & postlim. revers. n. 3.* Hodie namque tradunt passim morum periti, res mobiles regulariter postliminio non redire, nisi ab hostibus in fuga statim recuperatæ fuerint, tunc enim suis dominis illico restituendæ sunt, quia dominium nondum amiserunt. *Dn. Carpz. p. 4. c. 35. def. 9. Grot. d. l. n. 16.* Consentit Gloss. Juris Saxonici in Weichbild, *art. 2. ibi.* **Was ich meinem rechten Feind nehme oder in einem rechten Kriege gewinne, das ist mein.** Quapropter verissima est doctrina *Dn. Carpz. d. l. def. 8.* eum nimirum, qui in bello a militibus capta emit, priori domino haudquaquam sine pretii refusione ea restituere teneri, cum ablata ab hostibus vicissim redempta credantur, quo casu pretii refusio imponenda est, *l. 44. de acquir. rer. dom. & l. 6. ff. de capt. & postlim. revers.* & potest emptor experiri saltem actione negotiorum gestorum, tanquam ex negotio utiliter gesto, adversus dominum, *per l. 1. ibique notata a DD. ff. de neg. gest. Menoch. l. 5. præs. 29. n. 26. & seq. Wissenb. ad Pand. part. 2. disp. 39. th. 23.* Hæc vero procedunt in militibus in expeditione & conflictu constitutis, non præsidiariis, hi enim cum defensores nostri sint, neque nobis aliquid auferre, neque ablata & ab hostibus recuperata retinere debent, quare æquum est, ut bona etiam mobilia subditis erepta, atque a militibus nostris recuperata, ad veterem dominum redeant, *Grot. d. J. B. & P. l. 3. c. 9. n. 16.*

Brunnen.

Brunnen. *ad l. 28. ff. de capt. & postlim. reverſ. ibique alleg. Covarruv.* Quod res vero immobiles concernit, ſi publicæ fuerint, cedunt quidem Reipubl. victrici, ſed ſi civium ſint, licet ab hoſte occupatæ, ſi modo recuperentur & hoſtes expulſi fuerint, ad verteres Dominos revertuntur, per text. *in l. ſi captivus 20. §. 1. ff. de capt. & poſtlim. reverſ.* Idem obtinet in omni jure ſolo adhærente: Nam & loca capta, quæ religioſa vel ſacra fuerunt, ſi ab hac calamitate liberentur, quaſi quodam poſtliminio reverſa, priſtino ſtatui reſtitui cum Pomponio *in d. l. 20.* aſſerit *Grot. d. l. §. 13.* Sic agros ex Gothis & Vandalis recuperatos, veterum poſſeſſorum hæredibus reddiderunt Juſtinianus aliique Imperatores, non admiſſis adverſus dominos præſcriptionibus illis, quas Romanæ L L. induxerant, id quod contra præſcriptionum principia ex æquitate eleganter admodum defendit Dn. *Zigler. in not. ad Grot. tic. c. 9. §. 13.*

XXIV.

Atque hæc de Exilio tam vituperabili quam miſerabili, Exulumque ex hac cauſa juribus pro ingenii modulo dixiſſe ſufficiant. Reſtat, ut paucis etiam de modis, quibus utrumque tollitur agamus, idque ex methodi noſtræ ratione, ſuo quaſi jure efflagitante, ut expoſitis iis, quæ ad conſtitutionem alicujus rei concurrunt, ſubjiciantur contraria, ſive ea, quæ ad ejus rei imminntionem aut diſſolutionem pertinent. Illud vero remedium, per quod exules vituperabiles, ut cæteri delinquentes priſtinæ fortunæ ſuæ, velut poſtliminio, reſtituuntur, eſt *reſtitutio gratiæ*, dependens ex Jure Aggratiandi, ceu vulgo vocant, quod de Jure Civili ſummo Principi, *l. 4. ff. de pæn.* hodie vero illis ſolummodo competit, qui ſummam in Republ. habent poteſtatem, vel Superioritatem territorialem. *Petr. Heig. p. 2. q. 22. n. 6. Carpz. p. 3. Prax. Crim. q. 150. n. 8. & ſeq.* Neque tamen indiſtincte hoc jus exercere poſſunt, ſed tum demum, ſi delinquentibus pœna Jure divino ſtatuta non ſit. Quando enim criminum reos Jus divinum morte puniri jubet, ne quidem ſummus Princeps, aut alius quivis Superior mortis ſupplicium remittere poteſt. *Farinac. in prax. Crim. l. 1. t. 1. c. 6. Petr. Theodor. in Colleg. crim. cap. 10. aph. 7. lit. b. Carpz. in Pr. Crim. q. 150. Dan. Claſſ. de Jur. Aggrat. add. R. J. Spirenſ. de an. 1526. §.* und wiewol ꝛc. Eſt vero hæc reſtitutio vel *ſimplex & generalis*, vel *pleniſſima* & in *integrum*. Per illam pœnæ remiſſio tantum fit, *l. 2. C. de ſent. paſſ. ſive* uti *in l. 7. C. eod.* habetur, patria & reditus exulibus ſ. deportatis tribuitur, adeo, ut conveniri poſſit reſtitutus, *l. 2. & 3. ff. eod.* non tamen ab infamia liberatus cenſetur, *l. 2. & 4. C. d. t.* Hæc vero operatur

 redin-

redintegrationem prioris ſtatus omniumque jurium & bonorum, perinde ac ſi ablata non fuiſſent, *l.* 1. *l.* 2. & 6. *C. d. t. l.* 3. *ff. eod.* & hoc ipſum eſt, quod Imperator Conſtantinus innuit *in l. f. §.* 4. *C. eod.* inquiens: *Tantum ad reſtitutionem indulgentia valet, quantum ademptionem valuit ſententia;* Et hinc nullum dubium, quin exules vituperabiles omnia jura civilia, quorum per ejectionem jacturam fecere, impetrata hac reſtitutione, recuperent. Sic teſtamentum deportatione irritum, mediante reſtitutione convaleſcere communis Dd. eſt ſententia, quandoquidem illa loco poſtliminii eſt, quod facit teſtamentum captivi vires ſuas recipere, perinde ac ſi captus non fuiſſet teſtator, *l.* 12. *ff. de capt. & poſtlim. reverſ.* Immo vero filius, patre reſtituto, in patriam reincidit poteſtatem, qua per deportationem eximebatur. *§.* 1. *quib. mod. jus patr. pot. ſolv.* ita ut extinguatur tutela impuberum liberorum, cum tutela non ſit niſi eorum, qui ſui juris ſunt. Intermedio tamen tempore geſta per filium, qui paterfamilias fuit *l. ult. C. de ſent. paſſ. & reſtit.* rata ſunt. Non tamen *ex h. l. ult.* cum Baldo aliisque colligendum eſt, teſtamentum a filio interim conditum valere, ſed potius illud concidere dicendum, quod res in eum ſtatum devenerit, à quo inchoari nequit, cum filius nunc inveniatur alieni juris & teſtamentum videatur factum ſuper rebus alienis. Non obſtant verba generalia *de l. ult.* omnia ſc. per filium majorem 25. ann. interea geſta rata eſſe; nam accipienda ſunt de contractibus, ut indicat verbum geſtum, ſecundum *l.* 20. *de V. S.* non de iis, quæ plenam perfectionem nondum conſecuta ſunt, v. g. de teſtamento, quod vires accipit à morte diſponentis. *l.* 4. *ff. de ademt. leg. ibique Salicet.* Quod ſi vero filius mortuus fuerit ante reſtitutionem patris, teſtamentum ejus manere firmum, quaſi legitime conditum, pleriqne volunt, ex ea ratione, quod non devenerit in caſum, à quo inchoari non poteſt, ſicque jus hæredibus inſtitutis per mortem teſtatoris fuerit quæſitum. *Gloſſ. ad l. f. C. de ſent paſſ. & reſtit. in pr.* Putant tamen nonnulli hujusmodi bona hæredibus ſcriptis auferri poſſe propter reſtitutionem patris, quia videlicet cauſa deportationis, ob quam bona ad eos pervenerunt, redacta eſt ad non cauſam. Facit huc *auth. Idem eſt C. de Hæret. & Manich.* ubi liberi hæretici exhæredati, ſi revertantur ad fidem, non reſcindunt quidem teſtamentum paternum, quia legitime factum, orthodoxis tamen fratribus partem auferunt. *Zaſ. ad ff. tit. de ſent. paſſ. & reſt. & Perez. ad C. eod. tit. n.* 11.

XXV.

Neque vero jura priſtina tantum, ſed & bona omnia amiſſa & in Fiſcum

ſcum redacta Exules, vi hujus reſtitutionis plenariæ repetunt, *arg. l.* 1. *C. de ſent. paſſ. & reſtit.* Utrum vero ea etiam recuperent, quæ Fiſcus alienavit in tertium, non convenit inter Dd. Quidam enim pro affirmativa pugnant, quos inter eſt *Meier. in Coll. Argent. ad d. tit. §.* 3. *& alii.* Enimvero negativa videtur verior, tum per tradita *Roſenth. de feud. c.* 10. *concl.* 38. *n.* 86. *Weſenb. ad tit. ff. de ſent. paſſ. & reſtit. ibique Bachov. & Dn. Hahn Anton. Gomez. Vol.* 3. *Reſol. c.* 13. *n.* 39. tum etiam, quia beneficia Principis non ſunt in præjudicium tertii detorquenda *l.* 2. *§.* 16. *ne quid. in loc. publ. Jul. Clar. lib.* 5. *Sent. §. fin. quæſt.* 59. *n.* 6. nec Princeps cenſetur reſcripto ſuo adimere velle jus alteri quæſitum, quod ne quidem ex plenitudine poteſtatis auferre poteſt, *arg. l.* 2. *de his qui ſui vel alien. jur. ſunt.* Aliter ſe res habet in reſtituto ex juſtitia, (v. g. ſi bannitus poſt latam ſententiam offerat probationem innocentiæ, eamque poſtea probet, ita, ut abſolvatur juxta *text. in l.* 1. *§. f. ff. de quæſtion.)* hic enim tanquam innocens bona etiam alienata, & jura alteri quæſita recuperat, *Vid. Weſenb. ibique Dn. Hahn. ad tit. de ſent. paſſ. & reſt. n.* 2. *Brunn. ad C. eod.* Quod vero de bonis alienatis diximus, etiam de bonorum non alienatorum fructibus, medio tempore perceptis, intelligendum eſt, niſi & ſpecialiter Princeps bona cum fructibus perceptis reſtituere juſſerit, *Wiſſenb. p.* 2. *diſp. th.* 29. *arg. l.* 1. 2. *&* 4. *C. d. t.* Fructus vero extantes omnino conſequitur ex gratia plenarie reſtitutus, competente ad hoc imploratione officii Judicis. *Eckolt. ad Pand. ad d. t. de ſent. paſſ. & reſtit. §.* 2.

XXVI.

Porro remiſſio hæc pœnæ, ſive reſtitutio, iterum eſt *vel expreſſa*, vel *tacita.* De illa prolixius in th. præcedentibus actum eſt. Hæc moribus recepta eſt & contingit, ſi nova Nupta Principis in ipſius aulam ſolenniter inducatur, tunc enim quandoque currui inhærentes, ſine perjurii noxa, ſecuritatem merentur, quibus interceſſu Principis novæ nuptæ, quatenus ob delicti qualitatem fieri poteſt, gratia conceditur. Princeps enim poteſt in honorem domus ſuæ, vel ob lætitiam publicam aut ratione novi adventus, vel ob partam victoriam, famæ reſtituere bannitos, vel in exilium miſſos, nec non pœnas delictorum remittere, *Knich. de jur. territ. c.* 3. *n.* 457. *Diximus: quatenus ob delicti qualitatem fieri poteſt:* In enormibus enim admiſſis, ut in homicidio doloſo, cæteriſque mali exempli rebus, tantum abeſt, ut hæc remiſſio locum habeat, ut potius ita ingredientes civitatem iterum cogantur ſolum vertere. *Knich. cit. l.* Porro exilium vituperabile extinguitur, ſi temporarium fuerit, tunc enim præterlapſo tempore

 definito

definito ipsum quoque exilium exspirat. Sed *an hoc in casu infamia duret*, non exigui momenti quæstio est? Affirmativam sententiam *l. 6. C. ex quib. caus. infam. irrog. & l. 15. ff. ad Municip.* Negativam vero *l. 3. & 4 C. ex quib. caus. infam. l. 8. ff. de postul. l. 5. ff. de decur.* suadere videntur. Conciliationes vid. penes *Anton. Matth. ad l. 48. ff. tit. 19. c. 1. n. 6. Hillig. ad Donell. lib. 18. c. 8. lit. A. Cujac. lib. 7. obs. 9. Wesenb. ad tit. de his qui not. infam. n. 8. Meier. in Coll. Argent. ad tit. de his qui not. infam. th. 34. Wissenb. ad ff. eod. tit. n. 22. Dn. Struv. EX. 7. th. 23.*

XXVII.

Exilium miserabile tollitur, si ejecto vel facultas redeundi à Superiori concedatur, vel etiam liberum religionis exercitium permittatur, quod quilibet, cui Jurisdictio territorialis competit in suo territorio illæsa conscientia introducere potest, dummodo talis sit religio, quæ in Imperio nostro toleratur. *vid. instr. Pac. art. 7. sub fin.* Denique etiam exilium eorum, qui propter belli calamitatem expulsi sunt, finitur, si vel per victorem, vel etiam per pristinum Dominum ad inhabitationem & culturam agrorum revocentur, quales citationes post compositum bellum tricennale Germanicum hinc inde prodierunt, præcipue in concursu Creditorum, ut noteria hucusque confirmavit Praxis. Sed ne dissertatio nostra speciminis Academici mensuram egrediatur, pedem hic figimus, Deoque T. O. M. pro benignissima Spiritus Sancti gratia devotas agimus gratias. Abs Te vero, L. B. maximopere contendimus, ut tenuem hunc laborem æqui bonique consulas, & si qui errores præter voluntatem irrepserint, illos pro modestia tua emendare non dedigneris.

Sedibus expulsus patriis nunc pauper oberrat
Exul, qui Martis fulmina dira fugit.
Solamen lachrymis quærit, meliora precamur
Fata, Tuus lenit pectora mœsta labor.
Egregium factum, quod lausque honosque manebunt,
Pro studio ipsa Themis præmia larga dabit.

Suo hactenus Consalino & Auditori suavissimo, Nobil. Dn. Drehero, Jur. Cult. egregio, prolixissimum affectum, quem ipsi debet, publice hisce pollicetur, utque via virtutis ad gloriam, sicque etiam ad celeberrimi Domini Parentis famam grassetur, animitus exoptat

Heinricus Linck, D. & Præses.

